... no fue pro-
... como dize el Iurista] que es lo mes-
ue induze mayor obligacion. Porque,
io su consentimiento, y en forma para
, la embajada, el Archangel san Gra-
ta pregunta a los Santos. El Angelico
D.q.33.ar.1.dize: *Annuntiatio, ad hoc so-*
rginis consensus, haberetur. Y dando alli
nderetur esse quodam spirituale matrimo-
im naturam E...

25 ...

[handwritten] ... Lima 1657 ... II 375

messa simple, sino
mo, que *Promissio*
pregunto yo: para
ello, le traxo de pa
biel? Oygamos re
Doctor santo To
lum necessaria vide
la razon de ello,
nium, inter filium Z
expectabatur, conse
san Bernardo [cit
pectat Angelus con
... advitam



BEATISSIMÆ VIRGINI
GENITRICI DEI

MARIÆ

PVRITATEM SVÆ CONCEPTIONIS MANIFESTAM

FR. FRANCISCVS DE LA Cruz Ordinis Prædicatorũ, Sacræ Theologiæ Profeßor, Supremi Sanctæ Inquisitionis Senatus, & Tribunalis Limensis Censor, in hac Peruana Prouincia non semel ad Prouincialatum assumptus, Episcopus Sanctamartensis

... acria certam*licat* ...

Deiparæ honore, potuerit Auctor tam fortunatò diuertere, quasi inter amplissimæ Prouinciæ moderamina Chrysippi, aut Zenonis ænigmata, & elenchos meditetur: *Publius Scipio,* inquit Valerius, *cùm in Sicilia augendo exercitum, traijciendoq; in Africam opportunum* *Vale. Maxim. lib. 3. cap. 6.*

quæ-

MARIA

SINE LABE CONCEPTA.



...ato yo: para
ello, le traxo de pa
biel? Oygamos re
Doctor ſanto To
lum neceſſaria vide
la razon de ello, a
nium, inter filium Z
expectabatur, conſe
ſan Bernardo [cit
pectat Angelus con
ciendi, & aditam

CENSVRA A. R. P. M. FR. IOANnis de Ribera in Regia Vniuersitate Primariæ sacræ Scripturæ Cathedræ Moderatoris, Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris, & Eremitarum S. Augustini Peruanæ Prouinciæ Patris.

EX præscripto Excel.mi Dom. huius Peruani Regni Proregis, attentione, qua licuit, suspectione qua decuit, vidi Tractatum ab Illust.mo D. Fr. Francisco de la Cruz Ordinis Prædicatorum in hac Peruana Prouincia secundùm Prouinciali, pro Intemeratæ Virginis in suæ Conceptionis momento Puritate confectum: in quo id primùm admirationē mentis nostræ corripuit, quòd tam multiformi negotiorum mole, ac retractatu distentus, ad scholarum acria certamina pro tuendo Deiparæ honore, potuerit Auctor tam fortunatò diuertere, quasi inter amplissimæ Prouinciæ moderamina Chrysippi, aut Zenonis ænigmata, & elenchos meditetur: *Publius Scipio,* inquit Valerius, *cùm in Sicilia augendo exercitum, traijciendoq; in Africam opportunum* *Vale. Maxim. lib. 3. cap. 6.*

quæ-

quærendo gradum, Carthaginis ruinam animo volueret, inter consilia, ac molitiones tantæ rei, operam gymnasio dedit, pallioque, & crepidis vsus est: nec hac re segniores Punicis exercitibus manus intulit; sed nescio, an ideò alacriores: quia vegeta, & strenua ingenia, quò plures recessus sumunt, hòc vehementiores impetus edũt. Esto igitur: & Illustrissimus Præsul, vt Gigantem illum Centimanũ nobis exhibeat, scholæ regentiæ, Prouinciæque gubernandæ ijsdẽ horis insudet, & in vtroque munere coniunctim administrato Dominicum, ac Thomam in vnã Hypostasim compactos repræsentet.

Verum ab excessu ad iniuncti officij principalitatem accingor, operis nempe Censurã: ast quidnam aduersùs Fidei Catholicæ, siuè morum rectitudinem scribendo committeret, qui è suggestu tot annis; qui arctissimo vitæ genere, & Sacram Theologiam magnis ditauit incrementis, & Monasticam viuendi formam ad primæuas origines reduxit?

Sed gratulari liceat nostro sæculo, quòd celeberrimum Diui Thomæ Discipulum meruerit in Orbis theatro auscultare docentem,

&

& iuſto volumine monſtrantem, Beatiſsimã Virginem, Diuinæ Maternitatis priuilegio, originalis contumeliæ exſortem fuiſſe conceptam. Hoc nempe religioſa, & pene dicam Chriſtiana Pietas præcordiorum votis expetebat, vt è Thomiſtarum Auguſtiſſima Familia Ildefonſus quiſpiam, aut Anſelmus pro Virginis immunitate certaret, ne ſchola tam illuſtris tam ſecuris, tamque debitis Mariæ præconijs contradicere, aut ſaltem ſuam ſubtrahere auctoritatem videretur. Quis verò ſatiùs id præſtare potuiſſet, quàm Ill.^mus operis huius Auctor, qui vt perſpicax mentis Diui Thomæ lynx, certusque, & intraneus conſiliorum eius Interpres, Sanctum Doctorem nil contrarium opinioni piæ docuiſſe conuicerit; & vt vt alium animum dum viueret, induiſſet, conceſſiſſe id Eccleſiæ Romanę Auctoritati, quæ nil in fauorem huius ſententiæ ea tempeſtate firmaſſet: nunc verò, quum poſt Sixti, Pij, Pauli, Gregorijque diplomata, eam amplectitur generalis conſenſus, vbique Orbis, populorum, id ipſum è Cathedra in Prouinciarum omnium theatro doctorum D.

¶ 2 Tho-

Thomam, nec propterea sententiã olim suã vitiosè, aut cum inconstantiæ labe mutaturũ.

Est planè Immutabilitas Numinis solius elogium: quod sui luminis accrementa non ambit, detrimenta non metuit: in cæteris creatorum ordinibus, summam in gloriam cedit nonnunquam in meliora conuerti: Iustorum autem semita, quasi lux splendẽs procedit, & crescit vsque ad perfectam diem. Quid verò si mutatio veræ constantiæ, moralisque firmitudinis decore resplendeat? Obsidebat Bethuliam Holophernes: ad patriæ tutamina sancta Iudith zelo veri cultus accingitur. Florentis adolescentiæ venustissima quæque ornamenta resumit: nunquid verò castam, vidualemque mentem, qua mariti Manibus commori statuerat, mutasse dicenda est? immò tunc magis consorti vita functo placuisse: *Diuturnis igitur mœroribus*, inquit Ambrosius, *& quotidianis roborata ieiunijs sancta Iudith, quæ sæculi oblectamenta non quæreret periculi negligens, mortisque contemptu fortior, vt commentitium strueret dolum vestem illam iucunditatis, quam viuente viro,*

Prou. 4. 18.

Lib. de Viduis.

vestiri

vestiri solebat, se induit, quasi placitura viro, si patriam liberaret. Tam procul abfuit a Iudithę mente suspicio mutationis, quæ virum, quem lugebat, posset offendere, vt nisi florida iuuentutis oblectamenta, in speciem mutata, vindicaret, pertinax potiùs, quàm merito obsequens, & subiecta censeretur.

Denique Doctrinam, indemni fide, pro temporum qualitate variandam, edixit, quū maximè contra Hæreticos præscribebat Tertullianus: *Sed quoniam*, ita fulminat, *per versißimi isti illam reprehensionem* (Pauli erga Petrum) *ad hoc ostundunt, suspectam faciant doctrinam superiorem, respondebo quasi pro Petro: ipsum Paulum dixisse, factum se omnibus esse omnia, Iudæis Iudæum, non Iudæis non Iudæū, vt omnes lucrifaceret: adeò pro temporibus, & personis, & causis, quædam reprehendebant, in quæ & ipsi æque pro temporibus, & personis, & causis committebant.* Quis ergo demiretur si D. Thomam Apostolorum principalium auditor, si vitæ nunc restituatur, vbi Romana Ecclesia, quam summopere venerabatur, Virginis ab originis contaminatu priuilegium è

Tert. lib. de præscr. adu. Hæretic. c. 23.

Petri

Petri Cathedra intonat, indulgentiarumq́ue sacris intrudit congiarijs, pro tempore, pro persona, pro causa intentis tota vi lacertis bellaretur? Ill.mus ergo speculationis huius Auctor tam se Virginis obsequio addictum, quàm Angelici animi testem ocularem, hoc est Veritatis Scholasticæ Vindicem se, Triumphatoremq́ue cõfirmat: donetur ergo publica luce Commentarius, in cuius splendenti globo non Maria dumtaxàt electa, à Conceptione vsque vt Sol, sed Thomas etiam scholarum Sol Auxiliaris præfulget, Patronusque triumphat. Sic iudico, sic voueo. In Conuentu S. P. N. Augustini 12. Aprilis 1657.

Fr. Ioannes de Ribera.

Atento al parecer del P. M. Fr. Iuan de Ribera, se concede licencia para la impresion de el libro que en el se refiere. Lima 13. de Abril 1657. Orejon.

ILLVS-

ILLVSTRIS. ET REVERENDIS. D.D.D. Martini de Velasco & Molina, Archiepiscopatus huius Vicarij Generalis & Ecclesiæ Regum Metropolitanæ Primicerij, Primariæ Theologiæ Cathedræ Moderatoris, Episcopi electi de la Paz, censura.

TRactatum de singulari Purissimæ Virginis Deiparæ ab Originali peccato immunitate compositum ab Illustrissimo, ac Sapientissimo D. Magistro Fr. Francisco de la Cruz Ordinis Prædicatorum, in Peruana Prouincia haud semel Prouinciali, Episcopo electo Sanctæ Martæ; qua potui evolvi sedulitate summa quidem elaboratum industria, mira conceptum subtilitate, fœlici partum ingenio, Cœlestiumque Oraculorum, necnon Sanctorum Patrum suauibus excultum interpretationibus; illud etiam inter alia plura admiratione, ac veneratione digna, dignissimum censui, ipsum inter tot eruditissimos viros, qui animum ad huius Mysterij veritatem varijs discursibus confirmandam applicuerunt, ad efficaciam illationis per demonstrationē sub breui terminorum præcisione reduxisse, tum vi, & efficacitate rationum, tum spiritu, ac intelligentia Cœlestis doctrinæ, necnon Angelici Doctoris, cuius mentem ad præsens institutū summa cum fœlicitate Angelicè interpretatus & sequitur, & assequitur; quo non solùm præclari sui ingenij fœcunditas, ac studium singulare, sed etiam singularissimus erga purissimam Virginem supereminet affe-

affectus, cuius gloriam, ac præcipua priuilegia, vt fidelium cordibus firmiter infigat, Parentis insistens vestigijs eruditissimè dillucidat, ac gloriosissimè decantat. Omnia igitur sunt consona, nihil Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus dissonum, vndè vt opus hoc ad præcellentissimæ Virginis honorem, & obsequium lucem videat, immò vt lucem sapientibus afferat, meritissimè iudico. Limæ 20. Aprilis 1657.

Doctor Martinus de Velasco
& Molina, electus Pacensis.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

Por la presente damos licencia, por lo que toca a la juridicion ordinaria, para que se pueda imprimir el Libro intitulado, Manifestatio puritatis Conceptionis Virginis Genitricis Dei Mariæ, *atento al parecer del señor Obispo electo de la Paz. Lima, y Abril veinte y ocho de mil y seiscientos y cincuenta y siete años,*

Pedro Arçobispo de Lima.

Por mandado del Arçobispo mi señor.
Melchor de Oviedo, Sec.

AD BEATISS.AM VIRGINEM
Authoris deprecatio.

SIgnum magnum apparuit in cælo, Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, calcans Draconem. Apocalyp. 12. Bernardus serm. de Virgine.

Vers. Dignare, me laudare te, Virgo Dei Genitrix.

℟esp. Da mihi, notam facere omnibus puritatem tuam.

ORATIO.

BEnedicta inter mulieres, pulchra tota, & sine macula, Beatissima Dei Genitrix Virgo MARIA: quæso, vt ab intellectu meo, quem de tua puritate illuminare voluisti, omnem tenebrarum caliginem dimoueas, meamque voluntatem in tibi placitum dirigas, & postquam dum vixero, præco-

præconia plenitudinis gratiæ tuæ prædicauerim, quam credidi, videre in Beatitudine merear: eumq; qui tot tibi magna fecit, cum omni Cœlesti Curia, æternaliter laudare: per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ERRATÆ.

Fol. 7.col. 1.lin.penult.demonstrationes.lege,demonstratione. Fol. 11. col.2.lin.7. dicit. leg. dicitur. Fol. 14. col.3.lin.8.proter.leg.propter. Fol.21.col.2.lin.32.tsi,lege sit. Fol.24.col.3.lin.27.redemi. leg. redimi. Fol.25. col.2.lin.8.videtur.leg.videretur.col.4.affectus, leg.effectus. Fol.27.col.1.lin.28.indiuisiuo. leg.indiuiduo. Fol. 27.col.3.lin.28.siue.leg.sine. Fol.28.col.2.lin.24. haberet.leg.habuerit. Fol.29.col.2.lin.32.ttione.leg.ratione. Fol.32.col.1.lin.25.passione,leg.ratione. Ibi. lin.27.cur. leg.cui. Ibi. col. 4. lin. 7. concedentis. leg. concedentes. Fol.33.col.4.lin.19. popone. leg. preponere. Ibi. lin. 31. conterione.leg.contentione. Ibi. lin.32.licere.leg.liceret. Fol.34.col.4.lin.21.patribns.leg.patribus. Fol.35. col.3. lin.22.nune.leg.nunc. Fol.36.col.3.lin.14 rmus, leg. firmus. Fol.37.col.1.lin.4.deest. vniuersis. Fol.37.col.3.lin. 22.sape.leg.sepe. Ibi.col.4,lin.10.determicte.leg.determinate. Ibi. lin.21. colebrant.leg.colebant. Fol.38. col. 2.lin.30.facit. leg. fecit. Ibi. col.3. lin.14. quia. leg. quæ. Fol.48.col.3.lin.20.conducure. leg. conducere. Fol.49. col.4.lin.7.scilicet.leg, silicest. Ibi. lin. 9. spheram. leg. sphera. Ibi.lin.16.generaret.leg.generare. Fol.52.col.3. lin.30.dobilissimam. leg.nobilissimam. Fol.53.col.4.lin. 1.inim.leg.enim. Ibi lin.3.ac leg.ab. Fol.55. col.3.lin.27 illi ita.leg.illicita. Fol.56.col.3.lin.11. ueeqxpellere. leg. quem expellere. Fol.57.col.1.lin.8.sufficire.leg.sufficere Fol.58.col.1.lin.4.veto.leg.vero. Fol.59. col.4. lin. 28. peccatod.leg.peccato. Fol.60.col.4.lin.4.inclusiua.leg. exclusiua. Fol. 61. col.2. lin.11. de quo leg,de qua. Ibi. lin. 18, cum leg.quam. Fol.62.col.3.lin. 18, immunitas leg.immunitatis. Fol.64.col.3.lin,29.& leg.est. Ibi. col. 4.lin.14.Mater. leg. Maria. Ibi. lin. 27. genitricem. leg. Genitricem. Fol. 67.col.3.lin.31.non taliter.leg.non totaliter. Fol.79.col.1.lin.33.iudicar,et. leg.iudicaret. Fol.

76.

76.col.4.lin.10.tat.leg.num. Fol.77.col.4.lin. 28. propria. leg.pro Pia. Fol.78.col.3.lin.14.sancta.leg.sanctam Fol.80.col.1.lin.29.dicasur.leg.dicatur. Fol. 80. col. 1. lin.14.pio rigoroso.leg.pro rigorosa. Fol. 82. col. 1. lin. 24.perfusa.leg.perfusam. Fol.83.col.2. lin.24. communitatus.leg.communitates. Fol.84.col.1.lin.9.auctoritate.leg.authoritati. Ibi.col.4.lin.23.compositi. leg. compositus. Fol.86.col.4.lin.29.obiacta.leg. obiecta. Fol.87 col.1.lin.12.pluree.leg.plures. Ibi.col.2. lin.12. prus. leg. prius. Ibi.lin.22.oporans. leg. operans. Ibi. col. 3. lin. 9. vtiur.leg.vtitur. Ibi.col.4.lin. 26. repræsentatur. leg. repræsentantur. Fol.88.col.1. lin.4. sperandis. leg.operandis. Fol.90.col.3.lin.12.velit.leg.vellis. Fol 94.col.3.lin 20.dare.leg.dari. Fol.96.col.4. lin.16.abiectio. leg. obiectio.

BEATISSIMÆ VIRGINIS DEI GENITRICIS MARIÆ PVRITATIS CONCEPTIONIS MANIFESTATIO.



PVSCVLVM, quod demonstrationē Theologicā pro puritate Beatissimæ Virginis Genitricis Dei MARIÆ nominaui, additionibus augere, & auctoritatibus ornare, dum cogito, in meliorem formam redigere curo: & ex ibi dictis, & nouiter inuentis, sequentem formo discursum, ferè totum ad Sanctorum mentē.

SECTIO I.

Hæc est cum suis principijs, quam tradidi, demonstratio.

§. I.

Primum principium ordinis naturæ, & Gratiæ exponitur.

1 OMnium causarum prima est finis, eâ mouetur efficiens, quæ à fine non mota nihil operatur: quarè *omne agēs agere propter finem*, est proloquium communiter receptum.

Finis est duplex: operis, & operantis: operis est, qui naturæ rei est condebitus, à quo quasi specificatur opus: operantis verò est propter quem agens operatur, vt finis operis in eleemosynæ erogatione est subleuare miseriam pauperis; finis autē operantis, cùm propter vanam gloriam elargitur, est vanitas.

Opus pro operatione, & operato accipitur: vtriusq; finis est vltima eius perfectio, sic Arist. & D.S. 1. Ethi. cap. 1. vt lapidis esse in centro, in operatis; ad propriū obiectum vnio, in operationibus; vt visio ad coloratū.

Finis operis est ei connaturalis, & adæquatus, ad quē conceditur appetitus à natu- 2

 ra,

ra, quæ prouida, ad eum cōsequendum, sufficientes præbet vires; finis autem operantis æquatur eius virtuti, non semper operi, multoties namque excedit illud.

Finis operis est immediatus, seu proximus, quem immediate opus appetit: finis verò operantis est vltimus operis, quem respicit prout ab operante procedit, seu est operantis opus; est enim ad quem operans opus dirigit, quia est propter quem operatur.

Quarè operum Dei ad extra finis est correspondēs singulorum naturis, vt lapidi esse in centro, & igni in concauo Lunæ; Dei autem operantis finis est ipse, *vniuersa namquè propter semetipsum operatus est Dominus*. Prouerb. 16. quia extra se habere finem nō potest: Tū quia vt illud miraculum naturæ Arist. ait. *Finis est finalizato melior, & nihil est melius Deo.* Tum quia repugnat, habere aliquam causam sui: quare *beatum se ipso* fatetur idem Polit. 7. lect. 1. litt. I. apud D. S. nec aliquid potest esse sui finis, quia *nihil est causa sui.* Valet tamen esse finis sibi operanti, vndè potest dici Deus finis ipsius operantis ad extra: quamquam cùm operatio Dei sit substantia eius, *quia nihil est actualius ipso, & actio est actualior actiuo*, vt Philos. vtar ratione, propriùs dicitur finis sui operis, vt est effectus ab ipso, quàm ipsius operantis: quarè *non vult vnum propter aliud; sed vult vnum esse propter aliud* D. S. 1. p. q. 19. art. 5 vult enim, vt sint propter ipsum Creaturæ, *non autem vult propter se Creaturas*: quia hoc denotat amorē sui esse causam amoris Creaturarum, quod repugnat illi. D. S. ibi. in quo sensu accipiendus est finis operantis, cùm sit sermo de Deo.

3. Vniuersorum igitur existētium, & possibilium finis vltimus est Deus, qui operatur omnia propter se, nec aliter aliquid potest fieri: cùm contradictionem implicet, nō esse à Deo, & Deū non propter se operari, vel posse. Quapropter creatu-

ræ omnes tantùm bonitatem medij habere dicuntur D.S.1.p.q.6.art.4.quia omne opus respectu operantis, & finis eius habet medij rationem: medium, inquam, respectu Dei, superabundantiæ, non indigentiæ, non acquisitionis, sed communicationis, ibi. q.44.art.2. quia non est medium, vt aliquid Deus acquirat, sed vt ipsis Creaturis communicet bonum, quia Deus intendit tribuere, non sibi comparare illud: non enim sibi, sed alijs operatur, quia non potest fieri melior, bene tamen facere meliora: est namquè sua bonitas diffusiua sui, nō perfectibilis, eo quòd sit infinita, & talis per essentiam. Vndè media sunt talia, quādo habent non repugnantiam, vt bonum à Deo intēdente illis, accipiant, quam non repugnantiam, etiam ille præstat, vt artifex vitriarius, qui & materiam cum non repugnantia ad vasa, & vasa facit: omnia namquè existentia, & possibilia ad Deum, habent artificij rationem. *Omnium artifex docuit me sapiētia* Sap.7. quod & latè docuit D. S. 1. p. q. 44. per tot. & probauerat ibi.q 15.art.1. esseque ratione naturali notum, asserit.1. dist.36. q.2. art. 1.c. dicens *apud omnes Philosophos omnia sunt in mente Dei, sicut artificialia in mente artificis*, quod manifestum est ratione, eius loco q.15. cit. quia hæc est differentia inter causas per naturam, & per artem: *quod hæ habent formam in mente, illæ in re.* Natura autem omnium rerum est ars Diuina. Vndè August. de Ciuit. Dei lib. 21. c. 8. *Voluntas tanti conditoris conditæ rei cuiuscumque natura est.* Ea namq; est natura, quā suo intellectu fabricat, & volūtate approbat esse, sicut statuæ, quā artifex idea confingit, & voluntate facit, quod enim ab artifice est artificiale, à Deo est naturale, idque maximè apparet, quia omnia creata sunt composita, vniuersum ordine quodam componentia vnum, quod est artificij habere rationem; in hoc namquè essentia artificiati consistit.

4 Ex fundamento præiacto dixi in quodam meo discursu euidens esse, Deum possibilia amare necessariò: quia creaturas amat, vt media; sunt autem talia per non repugnantiam ad esse, quia sunt media non acquisitionis, & indigentiæ; sed communicationis, & superabundantiæ bonitatis Diuinæ, vt eis nimirùm communicetur in esse; media autem amantur, vt proportionata fini, non vt consequutus est actu per ipsa, proportionantur autem Creaturæ ad bonitatis Diuinæ participationem per non repugnantiam ad esse, secundùm quod amari actu dicuntur, quia media actu sunt communicabilitatis, seu bonitatis communicabilis Diuinæ necessariò, vt talis amatæ à Deo, secundùm quod non repugnantiā habent, vt eis communicetur esse, quod est bonitatis Diuinæ participatio prima; vt paries non albus potens recipere albedinem, amatur vt medium ad dealbationem; & lapis brutus, vt medium ad statuam: nam si haberent esse, sicut si paries esset albus, non esset medium ad dealbationem, benè ad conseruationem albedinis; ita Creaturæ non essent medium, si haberent esse communicabilitatis Diuinæ quā uis essent medium Diuinæ bonitatis communicatæ ad eius manifestationem; hac autem ratione liberè amātur, & bonitas Diuina communicata, & Creaturæ existentes in ipsa; illa verò necessario, quia non potest nō amari, vt communicabilis, cùm de ratione bonitatis competat ei, & ideò & medium illius; quod est Creatura possibilis carens esse, & non repugnans illud habere, quod est, non repugnare participare bonitatem, cùm esse sit prima, & vniuersalissima participatio eius, ratione cuius primò aliquid dicitur bonum. Medium autem bonitatis participabilis debet bonitate actuali carere: nam si illam haberet, non esset medium participationis, cùm supponeret consecutum finem, qui est bonitas communicata, quam do

ctrinam hausi ex D.S. limpidissimo fonte 1.p.q.19.art. 2. de quo ibi latius egi & q. 44. art.4. vbi totus ferè inuenitur hic discussus.

5 Hanc ob causam vltimus finis rei, qui est agentis, maximè superabundantiæ, non oportet, vt adæquetur rei, sed operanti: quia non ex debito naturæ; sed ex bonitate, & largitate agentis est finis: est enim finis datus, non debitus; quarè res, vt ipsum consequatur, expectat ab agente virtutem, ipsius enim est vires ad consecutionem præbere, non innatas, sed superadditas, ideoque ex gratia, non ex debito.

6 Cùm autem finis vltimus totius collectionis Creaturarum possibilium sit bonitas Diuina in sua amplitudine sumpta, vniuscuiusq; Creaturæ, quæ diuersæ est naturæ ab alijs, est ei aliqua specialis ratio bonitatis finis, eo quòd agens specialem effectui tribuens formam, finē intendit specialem: quarè vniuersum hoc, quod vna ex possibilibus Creaturis erat in mente Dei, sicut & existit vnum ordinis vnitate. D.S. 1.p. q.47. art 3. ipsum enim, vt ex suis partibus compositum & integrū quoddam artificium Dei reputatur esse, quod adinuenit, & fecit Sapientia Diuina. D.S. ibi art. 2. & 3. specialem rationem bonitatis Diuinæ ex intentione conditoris assignari est necesse vltimum eius finem, quam manifestum est esse Diuinam munificentiam, prout misericordiam, & iustitiam ambit; quia in omnibus operibus Dei ad extra, quibus cōponitur, & conseruatur orbis, hæc vtraque splendescit perfectio, D.S. 1.p.q.21. art. 4. quid autē esset finis vniuersi ex sui opificis voluntate in ipso notificare oportebat, cùm ad hoc creatus sit mundus. D.S. 1.p. q.44. & q.47. per tot, dicente Paulo de omnib. gentib. Rom.

1. *Inuisibilia Dei à Creatura* 7
mūdi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. vbi D. S. de fine interpretatur *Diuinitas*, quæ enim ratio omnibus parti-

bus competit bonitatis, secundùm quam omnia in vnum coire videmus, ipsam esse præcipuam perfectionem, & finem totius, est iudicandū, ad quam ostendē dam artifex fabricat opus, vt in reliquis artefactis apparet, quæ licèt in vnaquaq; diuersimodè repræsentetur, hoc fit, vt D.S. docet cit. 1.
8 p.q.47.art.1. *Quia Deus produxit res in esse propter suam bonitatem communicandā creaturis, & per eas repræsentandam, & quia per vnam creaturam sufficienter repræsentari non potest, produxit creaturas multas, & diuersas, vt quod deest vni ad repræsentandam diuinam bonitatem, suppleatur ex alia.* Cumque vnius vnus sit finis; vt ibi art. 3. habetur, & vnius facti vnus finis operantis; iustitia autem, & misericordia sint diuersæ rationis, ea, in qua vtraque conuenit, finis est vniuersi, ex voluntate operantis ipsum, hæc est munificẽtia in qua, quia superior ad misericordiam, & iustitiam, habent vnitatem, est enim *tribuere alteri bonum per modum ei subuenientis*; quòd si ex gratia conferatur, erit misericordia, si verò ex debito, iustitia; ex debito, inquam, respectu Dei; secundū Geometricam proportionem, quod constituit distributiuam iustitiam; quam Deo dumtaxat concedimus, in qua ex parte dātis, Princeps supremus si sit, quod confertur, muneris habet rationem, quamuis collatio sit debiti: quare, & si res sit debita rei, Deus non est debitor, est tamē iustus, quando illam tribuit, quia iustum & iustè facit: quemadmodum iudex, vel quasi, quia sua omnia sunt, & res debita, & cui debetur, quod non contingit in iudice. Huius veritatis ostensionem, & fecit, & facit Dominus conditor, & conseruator orbis, dum in omnibus operibus suis, vtramque misericordiæ, & iustitiæ manifestat, vt dixi virtutem.

9 Finis, qui secundum rationem commune m est talis, non nisi in speciebus atomis exercetur, quia in re tātum speciei determinatæ in

diuidua existūt, vt visus hoc album videt, nō coloratum vt sic, quamuis sit obiectū, & finis proximus illius; ideò & si munificentia Diuina sit finis vniuersi vltimus, non inuenitur in re, nisi in misericordia, & iustitia singulariter, & in indiuiduo contracta, quarè cùm de praxi agēdum sit, de illis, ratione seclusa communi, determinabitur.

10 Cùm autē non sufficiēter manifestetur misericordia, & iustitia Dei, vt sua, in operibus naturæ, & bono illius, quia tātū, vt infinita, est propria Dei, & eius attributū, eo quòd præcisa infinitate, creaturarum est virtus: at finis vniuersi vltimus, & Dei producentis illud, est optima bonitatis Diuinæ, secundùm rationem misericordiæ, & iustitiæ suæ in communicatione manifestatio, ergo vt infinitæ, quod & manifestū facit: quia prout sic, & non aliter, est finis adæquatus Deo operanti, & vltimus operis adæquatur agenti; agēs autem Deus vniuersum ex nihilo creās, infinitam exercet virtutem secundùm infinitatis rationem, quia ex nihilo aliquid facere tantū est infinitæ, vt infinitæ virtutis: ergo finis vniuersi vltimus, qui est Dei creantis, infinitus est asserēdus. Cumque sit manifestatio bonitatis Diuinæ per modum munificentiæ in misericordia, & iustitia, debet esse infinitæ munificentiæ in infinita misericordia, & infinita iustitia, quæ fit per sui optimam communicationem, in hac namque ostensa consistit manifestatio.

Ex quo nō infertur, quòd huiusmodi finis sit debitus vniuerso, sed intentus ab operante, quia operantis finis, maximè liberi, non est debitus operi, sed dabilis, vel donandus ex gratia; est tamen volitus illi ex superabundantia agentis, quod cùm sit infinitæ perfectionis, infinitatem redolet finis: ideoque in opere, quod est creatura, non sunt ad ipsum; nec possunt esse connaturales vires, sed ab auctore spectandæ, & cùm sit finis agentis ex intentione libera

illius

illius, nullum oportet esse in opere principium intrinsecum ad ipsum, sed dumtaxat nō repugnantiam. Quarè ad consecutionem est ordo gratiæ concedēdus: quia finis est supra naturam, eo quòd cōditori modo possibili adæquatus, ex eius gratia, & voluntate donandus.

Munificētiæ igitur infinitæ in misericordia, & iustitia infinita manifestatio est finis huius vniuersi. Cumq; iustitiæ ratio in satisfactione debiti consistat, dato infinito debito, & infinita satisfactione, infinitas manifestatur iustitiæ: & cùm sublevare miseriam per donum expellens illam, sit misericordiæ essentia, posita infinita miseria, & eam expellente dono infinito, misericordiæ datur infinitas.

11 Possibilem esse infinitam miseriam, vidēs in sua æternitate peccati possibilitatem, agnouit, hancque dono infinito esse reparabilē, in sui Verbi, per modum Redemptoris, possibilitate conspexit Incarnationis; in ipsoque peccato, vt offensa infinitatem debiti, in suique Verbi Incarnati passione, infinitatem satisfactionis, cuius manifestatio, & executio cùm in communicatione sui cōsistat, huic vniuerso communicare decreuit, & intendere finē. Qua ratione tradidi in meo de Incarnatione discursu, suppositis fidei, & Theologiæ principijs demonstratum Theologicè, Adamo non peccante, Christum Dominum non venisse: quia primum, quod nostro intelligendi modo in intentione Dei creantis concipitur, est vltimus finis vniuersi, qui est Creatoris operantis illud, infinitæ scilicèt misericordiæ, & iustitiæ in redemptione, & satisfactione per Christum manifestatio.

Hic autem est manifestatio suæ bonitatis in eius cōmunicatione per modum misericordiæ, & iustitiæ infinitæ: ostensio autem huiusmodi, nō nisi in redemptione, & satisfactione pro peccato, Persona operante Diuina, reperitur; reliqua verò ordinis naturæ, & gratiæ habent

habent ad hunc finem medij rationem, eo modo liceat nunc, quo dicitur de meritis respectu electionis ad gloriam, nõ præuisis: dixi liceat: quia aliter de decretis Dei tantam maiestatem magis condecens excogitaui dicere, & dixi.

12 Ex quibus manifestũ est, Christũ Dominum esse ipsam infinitæ misericordiæ manifestatam executionem in nostra per suum sanguinẽ Redemptione, quod est primum principium huius demostrationis, ex quo hæc consequentia infertur: ergo omnibus modis, quibus possibile est fieri, facta fuit Redẽptio humani generis per passionem Christi, aliter infinitudo eius non manifestaretur, si aliquis modus redimendi hominem deficeret; quia non factum non manifestatur, illaque Redemptio, quæ haberet modum, qui deesset Redemptioni per Christum factæ, esset, vel perfectior, vel copiosior, quod derogat dignitati Christi, repugnatque rationi, quòd possibilis sit aliqua excellentioris, vel maioris, vllo pacto virtutis, quã quæ per Personã Verbi fuit cõsumata, quia Persona est Diuina infinita, & natura inter passibiles duntaxàt merendi capax, & cæteris perfectior, nec esset infinitæ misericordiæ manifestatio, si modus miserẽdi in Redemptione abesset aliquis.

Ergo omnibus modis, quibus possibile est fieri, facta fuit Redemptio humani generis per passionem Christi. 13

Hæc est maior propositio.

Sed quidam modus redimendi genus humanũ, est redimere illud in Adamo, vt Capite.

Hæc est minor, & est nota, quia in quo quis peccat, potest liberari: & in quo quis contrahit reatum, ab eo absolui; cùm eadem sit oppositorum ratio. Sed in Adamo, vt

mo, vt Capite peccauit; & reatum genus humanum contraxit: ergo in Adamo, vt Capite potuit liberari per Christum, sicut & ipse Adamus liberatus est in persona, Sap. 10. *Hæc illum, qui primus formatus est à Deo Pater Orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Omnis autem gratia post lapsum Adæ, ipsi, & cæteris collata fuit ex meritis Christi, quod de fide asseritur á Theolog. 3. p. q. 19. art. 4. Porret. ibi app. probat pluribus Sacræ Scripturæ testimonijs, & Cōc. Trident. sess. 6. cap. 7. cum alijs eiusdem Cōc. locis. Nazar. eodem art. 4. controu. 2. conclus. 2. Suarez disp. 41. sect. 1. Vazquez disp. 77. ca. 5. Asturicensis quæst. 5. Cabrera ibi disp. 22. cōclus. 2. pro qua veritate firmanda longa esset Doctorum, & Patrum narratio.

Ratio cōuincit ex vniuersali Mundi redemptione, & causalitate finali, misericordiæ scilicet infinitæ in Christo Redeptore manifestata, & perfecta, quæ petit influere in omnem à peccato liberationem. Sino alias rationes, quibus authores citt. vtuntur, nō minus efficaces in Theologis, nota namquè est hæc veritas omnibus.

Ergo genus humanum redemptum fuit in Adamo, vt Capite, saltem in aliquo indiuiduo. 14

Hæc est Consequentia, & bona: quia benè infertur ex præmissis, est nāque in *Darij* cuius medium, *modus redimendi genus humanum*, in maiori distributum, & particularizatū in minori; consequens autem sic expono. Suppono, quòd vt dicatur genus humanū redemptū, sufficit esse aliquem hominē per Christi Domini passionem saluum; quia in vnoquoque indiuiduo saluatūr species; aliter si nō omnes salui fierent, vt defacto est fide tenendum accidere, genus humanum nō esse per Christum redemptum,

esset

esset dicendum, quod blasphemum est. Esse namquè in pluribus redemptum, & esse in vno, nihil ad essentiã, siuè speciem refert; sed ad extensionem, quæ valdè accidentalis iudicatur. Sufficit ergo, vt exerceatur modus aliquis redimendi, & in ipso manifestetur misericordiæ amplitudo, quòd in vno indiuiduo compleatur, vt ad exercitium artis, & perfectionis eius ostensionem, sat est aliquod opus, eo modo quo vult, vt fiat nota, conficere.

15 *At indiuiduum, quod in Adamo redemptũ fuit, peccatum Originale non contraxit in persona.*

Hæc est magis nota propositio: nam sicut cùm Adamus peccauit, nemo ex eius filijs in persona peccasse dicitur: quia vt in persona cõtrahat quis peccatum, requiritut existentia, & in propria persona subsistere, nam in eo, quod non est, non est peccatum. Hoc namque est in persona contrahere peccatum parentis, existere in persona per generationem ab ipso parente maculante naturam. Primus namquè homo, eo quod in eo fuit tota, vt in origine natura, fœdare eam potuit, & ideò omnes posteros in ipso. Quare in eos, siuè personas eorũ transfunditur, sicut & natura peccatum. Vndè antequàm existant, non contrahunt peccatum: ergo qui in Parente redemptus esset, nõ contraheret peccatum, quia in illo liberatus esset, antequam existeret. Nec aliter se haberet respectu illius, qui redemptus esset, quàm si peccatum non commisisset ipse primus Parens, in quo si totum genus antequã aliquem generaret Filium esset liberatũ, nullus in peccato esset Originali conceptus,

Ergo aliquod indiuiduũ ab Adamo viâ generationis propagatum, non contraxiße peccatũ originale, est fatendum.

Hæc eſt bona conſequẽtia ex præmiſſis, quarum maior eſt, vt ponatur in *Ferio* ſyllogiſmus, propoſitio antecedens immediata, & minor prima illa alia conſequentia: formatur namq; hoc modo,

16 *Nullum indiuiduum redemptum in Adamo, vt Capite, cõtraxit Originale peccatum in perſona.*

Sed aliquod indiuiduũ redemptum eſt in Adamo vt Capite.

Ergo aliquod indiuiduũ non contraxit origanale peccatum in perſona.

Hæc ergo neceſſariò fatenda eſt conſequentia, quia benè illata ex indubitatis præmiſſis.

At de nemine licet hoc aſſerere, excepta Beata Virgine.

Nam in Concil. Trident. ſeſſ. 5. definiente, omnes filios Adæ contraxiſſe maculam Originalẽ, can. 5. illam dumtaxat excipit §. *declarat tamen.* His verbis: *Declarat tamen hæc ipſa ſancta Synodus non eſſe ſuæ intentionis comprehendere hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatã & immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem, ſed obſeruandas eſſe conſtitutiones fœlic. record. Sixti Papæ IIII. ſub pœnis in eiſdem conſtit. contentis, quas innouat.*

Ergo Beatiſſima Virgo Mater Dei MARIA *peccatum Originale non contraxit in perſona.* 17

Huius conſequentis veritatem demonſtratam Theologicè arbitror: quia præmiſſæ ſunt in Theologia per ſe notæ, & conſequentia neceſſaria.

An

An sit demonstratio, examinatur.

§. II.

1 SVppono cum Arist. in duplici modo esse demonstrationem propter quid: prima, *ex veris, primis, & immediatis, notioribus, & prioribus, & causis conclusionis* absolutè, & per se: secunda reductiuè ad primam: prima est, cuius cõclusio est immediata principijs, secunda verò mediata; mediat namq; conclusiones illatæ, quæ sunt eius ex principijs præmissæ: nõ enim omnes cõclusiones scibiles sunt immediatæ principijs, aliter resolutio non haberet locũ, sufficit namq; quòd per bonas consequentias possint in principia resolui: quia sciẽtia est, non de notis per se, sed de notis per aliud: quia scibile, vt distinguitur ab obiecto primorum principiorum, est euidens in alio, illud verò in se; omnes autem conclusiones scibiles demonstrationes sunt tales: ergo demonstratio est, cuius conclusio in prima principia indemonstrabilia resolubilis est.

Dico, hæc est demonstratio Theologica. Probatur, quia eius conclusio resolubilis est in prima principia: resoluta namquè manet vsque ad rationem finis vniuersi ex intentione operantis illud, quod est omnium primum principium, fideq; tenendum, ex Prouerb. 16. cit & ad aliud lumine naturali notum; videlicèt, quòd bonitas est ratio finis, quibus nititur maior; minor verò ad vnum fidei manet reducta, *omnes in Adam peccauerunt*, & alterum rationi euidens in quo quis contrahit reatum, potest solui. Sed ad demonstrationem Theologicam hoc requiritur dumtaxàt, quòd ex fidei, & naturæ cõfletur principijs, quæ reductiuè saltẽ sint prima & immediata: ergo verè est nostra demonstratio Theologica, cuius cõclusio resoluta est ad prima, quia ex primis deducta fuit & ea dẽ viâ, qua cõpositiuè infertur, resolutiuè reducitur. 2

Se-

3 Secundò ex conditione principij, quam Philoſ. 1. Poſt text. 30. docet, quòd eius oppoſitum, contradictorium ſcilicet, ſit falſum, & improbabile; tunc enim quando vtraque pars contradictionis opinari, ſeu probari poteſt, neutra eſt demonſtrabilis, vt ibi habetur; ſed contradictoriũ principij huius demonſtrationis eſt improbabile, cũ ſit hoc. Redemptio humani generis per Chriſtum nõ eſt facta omnibus modis, quibus poſſibile eſt fieri per ipſum: ergo principium noſtrum demonſtratiuum eſt. Minorem oſtendo: quia non eſt medium intrinſecum, nec extrinſecum, quo probetur; non eſt extrinſecum: quia non eſt auctoritas ſacra, quę faueat, ſed cõtradicat: vt eſt illud Pſal. 139. *Copioſa apud Deum redemptio*, de quo ſup. confirmante Paulo Rom. 5. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & Gratia*: ergo vbicunque, & quomodocunque ligatum fuit genus humanum, Gratia per Chriſtum liberauit illud, & ampliùs: ergo ſacra auctoritas fauet noſtro principio, & contradicit oppoſito.

Non eſt intrinſecũ: cùm 4
non ſit, nec poſſit inueniri, quo probetur, Chriſtum Dominum non fuiſſe efficacitèr aliquomodò Redemptorem generis humani, quod neceſſe eſt fateri, ſi illo modo Redemptor efficaciter non fuiſſet: nam vt probetur, non eſſe omnibus modis Redemptorem: neceſſe eſt adminus, nõ eſſe modo aliquo talem; hoc autem improbabile eſt, & vſque modò non auditum, derogatq; dignitati Chriſti, quia non eſſet ſimpliciter, & perfectè Redemptor: nam ad nõ eſſe ſimpliciter, ſat eſt, non eſſe aliquomodò in eadem ratione, & eſſe perfectè tollatur per defectum alicuius modi eſſendi, quia vtrumq; eſt de genere bonorum: nõ enim eſt ſimpliciter, & perfectè calidum, quod omnibus modis poſſibilibus, perfectionis, caloris videlicèt vt octo, nõ eſt calidum; nec ſimplicitèr, & perfectè calefaciens, quod nõ omnibus modis

modis calefacit, seu facit calidum; Redemptor autem cōstituitur Christus per efficaciter redimere, hoc enim importat nomen Redemptoris: ergo, vt sit simpliciter, & perfectè Redemptor generis humani, omnibus modis possibilibus redemit illud: ergo, si aliquomodò non redemit, non fuit simpliciter, & perfectè Redemptor, quod maximè derogat eius dignitati. Ergo tanta certitudo est concedenda nostro principio, quantā habet, esse Christum simpliciter; & perfectè humani generis Redemptorem, & tantum veritatis, quantum falsitatis, non esse aliquomodò humani generis Redemptorem; cùm autem hoc falsissimum sit, nostro principio certius nullū est aliud. Minor est subsumpta, & cōsequentia bona: ergo demōstrationem esse, in dubium non est vertendum.

5 Opponet quis. Vt non sit demonstratio, sat est, quòd maior non sit necessariò accipienda, ad quod sufficit probare, quòd dignitas Redemptoris Personæ Diuinæ, & infinitatis misericordiæ ostensio saluatur, si fuerit omnibus modis Redemptor quoad sufficientiam, etsi nō fuerit quoad efficaciam: quemadmodum Omnipotentiæ infinitas manifestatur, etsi non operetur omnibus modis, quibus operari valet; misericordiæ ostenditur summitas in Redēptione per Christū vnius peccati mortalis, quo satis cognoscitur eius virtutis excellentia: ergo non est necessaria omnibus modis possibilibus executio Redemptionis.

Oppositum supra ostensum est: nam ad manifestationem potestatis non sufficit ipsa, quæ sufficientia dicitur; sed requiritur actus, qui efficaciæ est opus, quid per posse manifestaretur Dei, si nihil fecisset? etenim ad hoc creauit vniuersum; in opere autē summo, quod est Redēptio, ratione cuius fecit, quo melius non potest fieri, omnis perfectio possibilis debet inueniri: nam vnicuique tribuere, condecens est iustitia Dei, quàm 6

in

in omnibus suis operibus seruat, sic D.S, 1.p. q.21.art. 1.in corpore. ex D. Dionysio. *Oportet videre in hoc veram Dei esse iustitiam, quòd omnibus tribuit propria secundùm vniuscuiusque existentiũ dignitatem, vniuscuiusque naturam in proprio saluat ordine, & virtute.* Ecce secundũ dignitatem rei tribuere cõueniens, est Dei iustitia: ergo summo operi inter possibilia omne ordinabile ad ipsum est concedendum ex ordine iustitiæ, & Sapientiæ Dei factum, ibi ad 3. cùm autem summum opus, incarnari scilicèt, sit ob Redemptionẽ, nil perfectionis, quod ad illud ordinari potest, in quo manifestari speciali modo intelligitur, deesse, est credendũ, ergo, &c.

7 Ad id de manifestatione omnipotentiæ: dico, verum esse manifestari infinitatem eius in creatione cuiuscumque rei: quia creare, est infinitæ virtutis, nõ tamen clarè, sed confusè, vndè perfectio eius manet occulta, manifestatur namque tantùm quoad *an est*, non exercitis modis, quibus operari potest, secundùm quos creaturas possibiles continet, visisque à Beatis plùs, minùs vè, apparet eis secundùm maiorem, & minorem perfectionem; factum autem non est huiusmodi, quia ad hoc est factum, vt sit manifestũ, & in ipso resplendeat cum perfectione finis, ideò opus Incarnationis debet exercere quidquid valet, & quod non exercet, non potest in Redemptione humani generis, quoad eius formale, non quoad materiale. Sicut creare plures, vel pauciores creaturas, non conducit ad infinitatis manifestationẽ, nec quo ad an est creantis; sicut nec videre plura, vel pauciora obiecta, ad perfectionem videntis, benè tamen clariùs, & perspicaciùs videre.

8 Incarnatio enim completa, secundùm quod exercet munia sua, quibus completur practicè, Redemptionis scilicet, & satisfactionis; est misericordiæ infinitæ communicatio omni possibili modo, & quid factũ in hac ratio-

ratione , vndè impoßibile est, ordine condebito seruato, quòd aliquis modus redimendi, & satisfaciendi nō habeat: nam etsi secundùm intelligi abstractiuè, nostro intelligendi modo, saluaretur infinitæ misericordiæ manifestatio, in redimi quodcunq; peccatum mortiferum per Christum; non tamen in esse: quia quamuis hoc sit intelligibile, non est dabile; vt essentia hominis saluatur in animali rationali completa in intellectu, nō tamen datur in re sine suis perfectionibus, & requisitis ad existendum: infinitum enim in aliquo genere debet habere quicquid est perfectionis illius generis, quod si non haberet, ea parte limitatum esset, quarè non est dabile sine illo; modus autē rei est quid perfectionis eius, maximè actionis: vndè cùm Redemptio sit actio constitutiua Redemptoris, modus quilibet Redemptionis est eius perfectio, sine qua non potest dari, eò quòd supponatur illimitata in genere Redemptionis, ergo, &c.

9 Quòd si dicat aliquis, infinitatem meriti in Christo esse sub opinione; vndè ad demonstrationem non deseruit.

Respondeo, quòd ea vtor cumulatiuè, cùm perfectio summa in genere Redemptionis inferat necessariò idem, vt satis ostensum est, & ostendetur magis. In super dico, quòd demonstratum puto, infinitatem debere concedi, non in merito Christi, de quo non disputo; sed in manifestatione misericordiæ, ita vt infinitas misericordiæ sit manifestata in Redēptione per Christum, quæ est finis vniuersi, secundùm intentionem Dei operantis illud: ex quo omni possibili modo factam fuisse, necessariò infero.

Contra dices, infirma est distributio per omnes modos, quibus possibile est fieri Redemptionem factam fuisse, eò quòd sit infinitæ misericordiæ manifestatio, qua amplior, & perfectior intelligi nequit; sequeretur indè, omnes homines esse saluandos, quia ad amplitudinem,

dinem, & perfectionẽ hoc refert: maior enim; & amplior Redemptio est plures liberare captiuos, maiorq; misericordiæ, & liberalitatis ostensio in pluribus, quã in paucis, & vberiores copiositatis fructus ostentant magnitudinem.

10 Satisfeci huic obiectioni § 1. n. 14. pluralitas saluandorum est quid materiale extensionis, non formale: hoc namquè cõstituitur per diuersa media, & modos executionis in eis, qui salui fiunt, quibus manifestatur eius excellentia: quia Redemptio est ipsa executio, non virtus redemptiua; si enim virtus non posset modo aliquo saluare, limitata, & imperfecta in sua specie diceretur: ita, & Redemptio si in aliquo redimendi modo deficeret, nõ si plures, vel pauciores saluaret; quia hoc valdè materiale est, vt detur calefactio vt octo calefaciens vnum calefactibile, vt duo, vel plura, non ideò dicetur, eò quòd plura calefaceret vt duo, perfectior, amplior, & copiosior formaliter intensiuè, nec extensiuè; sed quòd maior, siuè amplior erat materia; si verò vnum vt duo, alterum vt quatuor, aliud vt sex, & vt octo calefaceret, amplior, copiosior, & perfectior formaliter extensiuè esset, & intensiuè manifestaretur, quàm si plura, & infinita vt duo calefaceret; non enim per plures saluandos dicitur copiosior Redemptio per Christum, quia efficacia nõ ad quantitatem materiæ discretam, sed ad qualitatis magnitudinem est referenda.

Negò tamen, aliquem nõ saluari per Christum, cuius salus sit compossibilis, pro quo.

Efficacia Redemptionis declaratur.

§. III.

SAluos facere homines, est prædestinationis executio, quæ est pars Prouidentiæ, siuè gubernationis Diuinæ, cuius est perduce- I

ducere vnumquodque secundùm modum propriæ naturæ in finem; vndè creaturam rationalem, in Beatitudinem liberè operantē, quia eius est mouere se liberè in finem; finis enim operantis per intellectum, & voluntatem, est consequibilis per ipsum, quia finis est forma apprehensa, quæ per actum elicitum, & non aliter appetitur, ideò datur voluntas ad illum appetendū, quærendum, & consequendum media electione mediorum, & vsu: gratia enim non destruit, sed perficit naturam, qua propter nolentes, seu non volentes, finem non consequuntur, nec Redemptio per Chtistum illos saluat; nam etsi hominis facultas naturalis non attingat salutē, quæ est per Christum, quia superat naturæ vires; potest tamen impedimentum ponere, eò quòd efficacia Redemptionis sit respectu liberè operantis, ad quod sufficit nō nolle, quod est non se impedire: quia impedimentum est, nolle, pertinens ad facultatem liberè operantis, quod est peccatum, cuius incipere & consumare est à nobis, quia creata libertas est primum deficiens, ideò Concil. Trident. sess. 6. cap. 11. *Deus neminem deserit, nisi priùs deseratur ab eo*: etenim deserit nos, quia cum deserere volumus, qua propter se impedire volentes, seu in peccato perseuerantes, salutem, quæ est per Christum, non consequi, inefficaciæ Redēptionis non adscribitur, quę non extenditur ad nolentē, siuè repugnantem saluandum; sicut contradictorium non posse fieri, non est omnipotentiæ infirmitas: sed repugnantia facti. Redemptionis enim perfectio est, efficaciam habere, adiuuando, non mutando naturam, aliter non esset prouidentiæ actus; qua propter omnem possibilem amplitudinem, copiositatem, & perfectionem efficacitatis habet, quādoquidem, omnem qui non se impedit, saluat, quæ est tota sphæra efficaciæ Redēptionis humanæ naturæ, quę finem consequi non potest,

non destructo ordine eius, si nolit.

3 Cum quo stat, ad consequendum finem, operari esse necessarium, vt ostensum est: ideò non operari bonũ, sicut operari malum, obest saluti; vtrumque enim peccatum est, vnum ommissionis, alterum commissionis; declinare à bono, & facere malum fomitis est impletio, qui est *difficultas ad bonum, & facilitas ad malum*; discrimen est, quod operari bonum incipit, & perficit Dominus, cooperantibus nobis, secũdùm illum Hierem. orat. cap 5. v. 21 *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Philipp. 2. *Qui operatur in vobis velle & perficere.* impedimẽtum verò nostrum est, nõ ergo maiorem efficaciam, copiositatem, & amplitudinem habere Redemptionem humani generis, est compossibile, cùm tantùm nolentes non saluet.

Quæritur, qua ratione dicatur esse quoad sufficientiã omnibus, id est, esse omnibus hominibus sufficientẽ: nam quod sufficiens est ad aliquod, & non facit, efficere valet, & efficaciam non habet, hoc enim denotat causa sufficiens, non efficax, non facere quod potest facere: ergo maiorem efficaciam, amplitudinem, & copiositatem potuit habere Redemptio.

4 Respondetur, quòd *Deus vult, omnes homines saluos fieri.* 1. ad Tim. 2. ad quod adhibuit sufficiens medium, quod est Passio Christi sufficiens omnes saluare volũtate antecedenti, quæ inefficax est finis in se, non finis in medijs, quarè formaliter assero esse in Deo, & facere suum obiectum, eo modo quo vult esse; vult enim, quòd sit in medijs, nam ablata illa voluntate, Passio Christi non haberet rationem medij sufficientis ad salutem omnium hominũ, quamuis ipsa per se esset sufficiens, illa namquè ordinatio, ratione cuius dicitur esse medium ad finem, & finem in medio, est effectus illius voluntatis antecedentis, quæ cùm nõ sit aliquod

pecu-

peculiare existens, non est consequens; tantùm enim est, esse ordinatum ex intentione ordinantis, quod tantum vult esse, & ideò in efficax est finis, qui est volitus, quia non ponit illum, quia non vult ponere, & perfectio voluntatis est facere, quod vult, & non facere, quod non vult.

5 Ad difficultatem igitur dico, quòd sufficientia Redemptionis est ad omnes homines in sensu diuiso, siuè absolutè; hoc est, non repugnantes; non verò in sensu composito, id est, impedimentum apponentes, siuè vt operantes; etenim quilibet homo secundùm suæ libertatis facultatem potest saluari, & passio Christi sufficiens est; at impœnitens, vt talis saluari non potest, nec passio Christi est ad impœnitentes saluandos, quamuis sit ad saluandos homines; cùm autem efficacia non mensuretur per posse, sed per posse respectiuè, compossibiliter scilicet, & non si tsufficiens ad impœnitētē saluandum ex parte impœnitentis; id est, quòd impœnitentem saluari, non potest fieri; ideò non deest ei aliquà efficacia possibilis, etsi concedatur sufficientia ad omnes, quemadmodum dicit de omnipotentia Dei, quæ sufficiēs est ad infinitū, 6
quod quia repugnat fieri, non ideò dicetur carere aliqua efficacia, quam potest habere, quia efficacia respicit compossibilitatem facti, sufficientia verò virtutem ad ipsum, non respectis impedimentis, & hoc in omni causa, quia effectus dipositionem petit in materia negatiuam, vel positiuā, prout est eius natura, hinc est, quòd omnes quos saluari, est compossibile, saluantur per Christum: ergo si nil efficacitatis in materia compossibile deest Redemptioni ex eius perfectione, & amplitudine, quamuis ad extēsionem materiæ spectet, qua ratione potest deesse modus aliquis redimendi, & potissimus inter omnes, qui formalitatem efficiunt? ergo non deest efficacia, cùm nō saluatur impœnitens, sicut

neq;

nec lux ei Solis, cùm non ingreditur, fenestra clausa, quia etsi sufficiens sit ad ingrediendum, non clusa fenestra.

Opponitur: nam D. S. 3.
7 p,q.27. art. 2, in c. & ad 2. ait, derogari dignitati Christi, si Beata Virgo esset sanctificata non per ipsum, eò quòd sit omnium Saluator, etsi sit vnum indiuiduum: ergo saluare plures, non est quid materiale præcisè.

Respõdeo, aliud esse quòd aliquis saluetur, & non per Christum; & aliud quod nõ saluetur: hoc non refert ad dignitatem Redemptoris; illud verò maximè, non enim esset omnium saluator, si aliquis non per ipsum esset saluus, quarè hoc derogat eius dignitati, illud vero minimè, vt patet in pereuntibus vniuersis.

Sacræ Scripturæ loca an suffragentur, discutitur?

§. IIII.

1 SI verum est, quòd in Adamo, vt capite, redempta fuit Beata Virgo, credibile non est, locum sacræ Scripturæ, qui Mysteriũ hoc, quia grande, repræsentantem non esse: ergo si non inuenitur, non est verum.

Dico, nõ deest sacer textus, tamen non est necessarius: nam cùm ex Scripturæ testimonijs infertur aliquod consequens, pro illo non requiritur textus, quia in antecedenti virtualiter continetur consequens; vndè testimonium, ex quo infertur, pro ipso est, huiusmodi sunt ferè omnia, quæ nouiter diffinita tenet fides; nostra autem conclusio ex testimonijs sacris infertur: est enim testimonium, quod probet, Beatam Virginem non contraxisse maculam Originalis culpæ, hoc sit Cant. 4, *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*; quo vtitur Anselmus, & infra palam faciam ex mẽte D. S. ex alio capite inuenitur esse Redemptam, cùm Christus sit Saluator omniũ
hominum 2. ad Timoth. 4. 2
& Matth. 1. ex eo autẽ quòd non contraxerit originale, neces-

necessariò sequitur, non esse redemptam in persona, sed ex 2.Timoth. fatēdum est, redemptam fuisse: ergo in Adamo, vt Capite: quia nō potest redimi, nisi in quo contraxit debitum; non autem contrahitur, nisi in Capite, vel in persona: ergo si in persona non potest esse redempta, quia non contraxit peccatum; fuit redempta in capite. Hæc consequētia est bona: ergo consequēs virtualiter contētum in illis testimonijs, non ergo pro ipso inueniendum nouum.

3 Sunt tamen plura, quæ hoc Mysterium declarant, sit primum Pauli Rom. 5. *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia*, ergo vbicunque ligatum fuit genus humanum, liberatū fuit per Christum, de quo intelligit Apostolus, superabundare gratiam; sed in Adamo, vt Capite, genus delicto maculatum credimus: ergo in ipso Redemptione sanum, saltem in aliquo indiuiduo, quod sufficit ad superabundare gratiam; hæc enim superabundat, quando ex debito materis postulat delictum pœnam; & nō tantùm condonatur, sed ad gratiam, & amicitiam assumitur subiectum, aliter non superabundaret gratia, vbi abundauit delictum, immò delictum superabundaret, quandoquidem genus in capite omnino inquinatum maneret: ergo esset delictū, vbi non esset gratia: ergo nō vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia.

4 Sit secundum Gen. 3. Domino maledicente Serpentem: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; semen tuum, & semen illius; ipsa conteret caput tuum*: quæ verba, & si de Eua videantur dicta, cū de ea verificari non possint, de Beata Virgine in ipsa, vt in Matre, intelligi oportet; quemadmodùm plures sancti, de quibus infra intellexerunt: nam de sola Dei Genitrice veritatem habent: ergo si de Eua à Deo dicuntur, de Virgine, vt erat in Eua, sunt dicta; erat enim in Eua respectiuè ad Adam, vt Patrem, quia filius est in vtroque Parente, antequam

sit,

sit, sicut effectus in causa adæquata; nec est in Matre, nisi vt ad Patrem, qui causa efficiens est: ergo de Virgine in Adamo; at non possunt verificari de ea, nisi vt à peccato liberata: ergo in Adamo fuit redēpta. Quod de ipsa, vt à peccato salua intelligantur, notum faciūt ipsa verba, quæ sunt de Virgine dicta, vt Matre Saluatoris, ibi. *Semen tuum, & semen illius*, quod est Christus, vt communis est Sanctorū sensus; non autem est Mater, nisi plena gratiæ: quia gratiæ plenitudo facit eam idoneam, vt infra ex mente D. S. & sacra Pagin. dicam: ergo tunc conspiciebatur plena gratiæ, quia Mater Dei. Quemadmodùm nō potest ignis considerari, nec esse, non calidus vt octo, & multò minùs frigidus: ergo nec Mater Dei sine plenitudine gratiæ, quæ est idoneitas, quæ dispositioni comparatur, & multò minùs cū peccato originali, quod gratiā destruit, sicut calorem frigus; loquitur ibi Deus decretum supponens, siuè decretiuè, tum ob verba de futuro, tum quia vniformiter de ipsa, & de filio; sed Filius tunc prædestinatus creditur: ergo & Mater in Adamo salua per ipsum.

Quod verba verificentur de Virgine, & solū de Eua, vt in ipsa est illa, sacer textus declarat: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; semen tuum, & semen illius.* Serpens hîc pro Diabolo supponit, quod ad litteram testificatur Ioan. Apocalyp. 12. *Serpens ille antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, &c.* loquens de hoc, & de inimicitijs cum muliere, quam ibi haud obscurè Beatam Virginem depingit; estque Sanctorum intellectus, inter Euam, & Diabolum nullas inimicitias nouimus, inter illum & Virginē maximas, eas tradidit nobis Ioan. Apocalyp. 12. cit. ipsa enim terror est inferni, & nomen eius Diabolo formidabile. 5

6 Inimicitiæ hæ bonū quid sunt; quia à Domino positiuè factum; malum Diabolo: quia in pœnam maledictione

dictione datum, vndè quid bonum mulieri, & cùm nulla alia inimicitia sit, præter quæ ex gratia consurgit per liberationem à peccato, tūc liberata intelligitur, & electa, vt à laqueis Tartareis debellando Dæmones, nos erueret, compescendo eos: nam ex sola gratia, & liberatione à peccato, non inimicitia, quæ est pœna, sed electa nascitur, vt sit pœna; pati est necesse: quia pœna est *passio ab extrinseco agente, repugnante voluntate patientis*; ideò propriè significatur inimicitia actiua ex parte mulieris infligentis aliquod malum, quod totū, ex eo quod Mater prædestinabatur Christi, satis demōstrant verba textus: *Semen tuum, & semen illius*. Ex quibus formatur valida ratio, eò quòd non repetatur verbum *Inimicitias*, per quod datur intelligi eiusdem esse rationis seminis, & mulieris, Christi, & Virginis Matris inimicitias cum Diabolo, vt non tantùm in videret exaltationem humanitatis in Christo Deo; sed in Matre ad solium quo pertingere non poterat superbus: reuellatum enim fuit illi in primo sui esse Incarnationis Mysterium, vt est sensus aliquorum Patrum, & mihi indubitatus videtur ex locis proximè citandis; ipse autē noluit acquiescere, nec Christum adorare, similem ambiens sedem, nam sedē Dei appetere non est Angelo possibile; vndè potest intelligi illud Isaiæ 14. v. 14. *Similis ero altissimo*, Deo humanato, Christo scilicèt, cui per propriæ naturæ excellentiam, humanæ inferioritatem considerans in beatitudine æquari voluit; ex quo cùm ad infernum detraheretur peccans, occidere illum statuit, quod & Dominus loquens cùm semine eius, Iudæis scilicèt, dixit Ioan. 8. v. 44. cū n ipsi occidere eum vellent; *vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere; ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit*: ab initio enim determinat illud, in quo creatus fuit. tūc enim homicida non fuit ef-

fectu, ſed affectu, quod & Dominus declarat per verbum *deſideria patris veſtri:* ſed cùm volunt illum occidere, implent deſideria Diaboli, ſecundùm quod homicida fuit ab initio: ergo Chriſti Domini homicida.

Cõfirmatur hæc veritas
9 verbis Apoc. 13. v. 8. *Agnus, qui occiſus eſt ab origine mundi*, de Chriſto Domino dictis, qui cùm non ſit occiſus effectu, affectu Diaboli occiſus intelligendus eſt in ipſa origine Mundi, ideoque ei reuellatum fuiſſe Myſteriũ Incarnationis, noluiſſeque exhibere cultum, & occidere ſanxiſſe. Scio tamen interpretari hunc textum de morte Abel, in quo, ſicut in alijs iuſtis, occiſus eſt Chriſtus; at littera de Chriſto in perſona loquitur, ſecundũ quod aliam non patitur interpretationem: eſt enim huiuſmodi, de Dracone loquens: *Et adorauerunt eum omnes, qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine Mundi:* non ergo ſecundùm quod Chriſtus occiſus eſt in Abel, eſt liber vitæ eius, ſed ſecũdũ quod eſt caput, & mortem pro omnibus pertulit. Hoc ſenſu exponit D. S. illud Pſ. 19. v. 8. *In capite libri ſcriptũ eſt de me:* præterquàm Abel non fuit occiſus in origine 10
Mundi, ſed poſt plures annos à conditione illius, niſi origo latiſſima acceptione ſumatur, nulla cauſa, vel neceſſitate cogẽte: ergo quòd fuerit facta Incarnationis reuellatio Lucifero, hæc loca faciunt palam. Ecce inimicitiam Chriſti, Virginis ſeminis, ad Serpentis ſemen, Iudæos nimirum, ſecũdùm plures Patres, quos filios eius Dominus vocat, & quãuis videatur paſſiua ex parte Chriſti, ipſum pati, fuit viriliter agere: audiatur Paulus, prætermiſſis alijs locis Hæb. 2. v. 14. de Chriſto Domino, *vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti*, quod per Ioan. ipſe Dominus ait 12. v. 31. *Nunc Princeps huius*

Mundi

Mundi eijcietur foras: de Diabolo intelligunt omnes Sancti, hoc malum intulit illi inimicitia Christi, quam ipse ab origine, suis commouit artibus, quod in pœnam nunc datur ei, vt victũ euadere sciat, cùm victorem se esse, putabat.

11 His iactis: existimo, post peccatum Adæ reuellatam fuisse Diabolo puritatem, dignitatem Maternitatis, & gloriam Beatæ Virgini præparatam: puritatem in parentibus, dignitatem in via, gloriam in Patria: tantamque esse, vt sine mensura superet puritas ex perfectione, plenitudinem gratiæ, ipsi Lucifero in primo sui esse collatã, dignitatemque quã ipse supra omnes creaturas cœlestes habuit, videatq; ad dignitatẽ Virginis Matris, propter summã eius excellentiam, non posse comparari; beatitudinisque magnitudinem tantæ esse maiestatis, vt ipse superbus distinctè, & in particulari eam ambire nõ potuerit, quo magis cruciari fuit necesse, inuidiaque torqueri, intuens se à pura creatura humana superatum in omnibus, de quibus superbire conatus fuit, quam in illo sui esse secundò instanti, à Deo homine facto, Christo scilicet ei reuellato, in ipsaque muliere, per quam credidit hominem suæ subiugasse seruituti, seruus agnosceret Dominam.

Quam gratiarum magnitudinem, in exaltationem 12 generis humani peccato infecti, & pœnam Diaboli esse concessam, arbitror, vt magis misericordiæ manifestetur excellentia; cùm ex miserrima seruitute peccati in pura creata persona non contracto peccato, ad esse Diuini ordinis supra omnes possibiles creaturas eueheretur natura: nõ enim huiusmodi esset opus exaltationis generis, culpa non inquinati: nam quantò inferior est locus à quo ad supremum assumitur, tanto maior est exaltatio, & exaltantis splendescit maiestas, vt si à vili statu ad Regnum aliquis fuisset assumptus; maius esset opus, quam si à no-

nobili, & illustri: quia quantò magis terminus *à quo* distat à termino *ad quem*, tantò excellentior est transitus, & maior ostenditur agentis virtus: hæc enim pœna fuit Diaboli, non quod collatio gratiæ Virgini facta sit propter illam, sed applicata in pœnam; sicut ea, quæ ibi dicuntur Serpenti naturalia, *super pectus tuum gradieris, &c.* & quæ dicuntur viro, mulierique; sunt enim naturalia, quæ dantur in pœnam ex clementia iudicis; quemadmodum in Sacramento pœnitentiæ labores, quos naturaliter, vel ex necessitate patimur, in satisfactionem imponuntur: hac ratione inflictam fuisse Diabolo, concedendum puto; est enim maledictionis ostentationē pars: & meritò vt sexu, per quem vicit, vinceretur, & fragili frangeretur Superbus: cōsueuit Dominus Sap, 12. v. 16. *Quidā autē errantes colebant mutos Serpentes, & bestias superuacuas, immisisti illis* (loquitur cum sapientia) *multitudinem mutorum animalium in vindictam, vt scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc, & torquetur.*

13 Hæc est inimicitia Virginis cum Diabolo eiusdem rationis cum ea, quam habet Christus: quarè *inimicitias* in plurali dixit, & non repetit *inter semen tuum, & semen illius*, cùm dixit, quod opus erat; si alterius rationis esset inimicitia feminis; quapropter, præter id, quod dictum est, tunc Virginem à peccato liberatam in Parēte, quia de ea loquitur Deus, vt de Matre, considerans eam, vt talem, cùm aliter non possit intelligi *semen illius*, nisi Matris, & Matris sine viro, Christus scilicet, quare de ipso loqui textum in proprietate sermonis, cū Caiet. hoc in loco existimo; ipse namque solus est mulieris dumtaxàt semen. Alia ratione idem ostenditur, nimirùm, quòd inimicitia cum Diabolo fundatur in sanctitate, ita vt supponat illam, modo quo effectus causam.

14 Quid, quæres, inimicitia Virginis aduersùs Diabolū operetur? nam quòd ipse illi

li inuideat, & machinetur
aduersùs, malitiæ Diaboli
est imputandum: & pœna,
qua consumitur inuidens, &
torquetur, non ab alio, sed à
se originem habet, & cau-
sam. Cui respondet textus,
ipsa conteret caput tuum: Ca-
put Diaboli, peccatum Ori-
ginale intelligunt plures a-
pud Haic. Quod in se, vel
meliùs sibi contriuit, & me-
ritò: ipsum enim originale
fuit, quo constitutus est ca-
put: caput, inquam, quo di-
citur Princeps Regni Caput,
non influxu, sed dominio,
tyrannico tamen, quo do-
minatus fuit Mundo: *Quia
ex originali homo seruituti
Diaboli addictus erat*, sic D.
S. 3. p. q. 48. art. 4. in c. ex 2.
Petr. 2. *A quo quis supera-
tus est, huius & seruus est*,
confirmante Domino Ioan.
12. v. 31. *Nunc Princeps hu-
ius Mundi eijcietur foras*: eò
quòd passione Christi origi-
nali deuicto, Mundus à Dia-
boli imperio absolutus esset
futurus; cumque proprissi-
mè hoc sit contritum, Re-
dempto genere humano in
Adamo vt capite, quia ibi
capitis Diaboli rationem
accepit, quæ Redemptio in
Virgine tantùm fuit execu-
ta, ipsa contriuit Diaboli ca-
put: quod & probat ipse lo-
quendi modus, dato quod
originale sit caput, contritũ
erit, cùm fuerit deletũ: er-
go fuit prima ab eo libera- 15
ta: quia qui primus aliquod
facit opus, eum dicimus fa-
cere; cæteri non, etsi faciant:
ergo cùm Sacer Textus di-
cat, *ipsa conteret caput tuum*,
eam asserit primam pecca-
tum originale contriuisse:
nam quòd vi gratiæ fit in
aliquo subiecto, ipsum sub-
iectum operari dicimus, se-
cundùm quod gratia infor-
matur: ergo si prima, cùm
in persona nõ fuerit prima,
nec sola, quia post tot sæcu-
la, & Sanctorum multitudi-
nem aduenerit, in Adamo
infertur esse, antequàm ipse
à peccato surrexisset: digna
enim est Mater, vt in ipsa
initium habeat Redemptio
per filium; & cùm sit perfe-
ctionis opus, sit primum per-
fectissimum; hic enim est
processus ordine naturæ, qui
est perfectionis, incipere à
per-

perfectiori, ideò D. S. ait Gen. 1. priùs creatum esse virũ, quàm mulierem, quia Deus in creatione processit ordine naturæ, siuè perfectionis, & priùs nominatur cœlum, quàm terra: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*: ordo gratiæ perfectionis est, & Christus prædestinatus primus: ergo post ipsum Virgo Mater, ab eaque incepit Redemptio, sed non potuit in persona: ergo in parente primo: ideò ipsa caput Diaboli contriuit, hic est effectus inimicitiæ eius, quod maximum Diabolo attulit malum, sicut humano generi bonum; ordo verò generationis ab imperfectiori sumit exordium.

16 Hic sensus fundamentum non paruum habet, cùm ferè omnes Patres D. Aug. lib 11. de gen. ad lit. D. Amb. lib. de fuga sæcul. cap. 7. D. Chrys. ho. 17. in Gen. videatur S. Vicent. serm. de Concept. n. 3. in specie loquens: Intelligant prædicti textus verba, *per mulierem* Beatissimam Virginem; & per *eius semen*, Christũ Filium illius, sic in Glos. S. Leo: *Statim vt Diabolica nos malignitas veneno suæ mordicauit inuidiæ, renouandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mũdi primordia præsignauit*, de Christo, & Virgine hoc prædicat: quid clarius potiut pro nobis tradere? cũ dicat, statim remedia præparasse, quæ Virginem, & Filium esse, necesse est fateri: de quibus, & ipse ibi decantat, & licèt intelligeretur Christus precisè, non potest sine Matre præparari, quæ talis concipi nequit, non concepta plena gratiæ: quia gratiæ plenitudo est idoneitas Maternitatis; at de Virgine præcipuè loquitur, cùm ad verba, quæ de muliere in Serpentem dixerit Dominus, hæc adijciat Raban. super Genes. lib. 1. cap. 18. in fin. 17
ex Sanctorum mente, idem affirmat significari: *eò quòd eo tempore ex Virgine Dominus nasciturus ad inimicum vincendum, præordinatus fuerit*, verba sunt illius: ergo Virgo præordinata Mater Dei: ergo à peccato eo tempore in Adamo redempta: Be-

Beda cum alijs consentit, Lyra ibi affirmans: *quòd plures Sancti exponunt de Beata Virgine ab illo loco: inimicitias ponam inter te, & mulierem, non istam Euam, sed aliã ab ea descendentem, scilicèt Virginem Mariam, quæ est infesta Dæmonibus: vndè Cant. 3 terribilis est, vt Castrorum acies ordinata; semen tuum, Angelos malos; & semen illius Christum Dominum, qui est semen Mariæ:* sic ille. Cumq; de Eua loquatur, quasi actu illa præsente, & de Virgine sit sensus, de Virgine, prout tunc in Parentibus erat, verificatur textus: & cùm non possit verificari, nisi à peccato munda, prout sic, mundam esse, est asserendum. Sunt alij quàm plurimi, qui ad litreram idem sentiunt, quorum verba recenseri nõ vacat; qui ferè omnes intelligũt verbũ illud *caput tuũ*, peccatum; & cùm tunc non sit aliud, præter primum Adæ, illud contritum per Beatam Virginem; est censendum, & quia in sacris litteris *Contero* significat *liberare*, vt est apud Ier. 30. v. 8. de

o redemptam esse imperio Baby[illegible] captiuitate Populi dictum: *erit in die illa, ait Dominus exercituum, conteram iugum eius de collo tuo, & vincula eius dirumpam*, conterere peccatũ, pro liberare ab eo, est accipiendum.

Quòd autem peccatũ sit 18
Serpentis caput, satis declarat Ioan. Apocalyp. 12. cùm ponit Serpentem hunc cum Virgine bellum ineuntem, habere capita septem, quæ septem Capitalia vitia cõmuniter significare dicũtur litterali sensu: quia hic est ibi metaphoricus; hoc autẽ septuplum caput peccatum Originale, quia ab ipso oriũtur, siuè causantur illa per deordinationem potentiarum, vt docet D. S. 1. 2. q. 84. art. 4. repræsentatur, & ex contextu fiet notum infra: ergo à peccato Originali puram fuisse Beatam Virginem affirmare oportet; hoc enim significat, conterere actiuè: nam qui aliquid conterit, ipsum non habet: plenitudo namquè gratiæ eius subiectum purum ab omni peccato exposcit: qua

perfectiori modo vincit, ne subiectum afficiat, quod priuilegium est solius Virginis; ideoque sola peccatum Originale contriuit, dum vicit illud plenitudine gratiæ suæ: *Contero* namquè etiam *Vincere* in sacra pagina significat passim, Machabæor. 1. c. 4. v. 10. & c. 5. v. 7. *Contriti sunt in conspectu eorum*, & *percussit eos*, pro eo quòd Iudas vicerit inimicos: hoc ordine peccatum Originale contritum est in conspectu plenitudinis gratiæ Virginis conterentis illud.

19 Amplius manifestabitur solutione difficultatis, quæ insurgit, eò quòd textus loquitur de futuro, ex quo videtur nihil posse inferri pro Redemptione tunc Virginis facta in Parente; hoc autem non elidit vim, quia eodem modo loquitur de Christo: *ponam inter semen tuum*, & *semen illius*, qui tunc temporis medicamē præparatum erat: referūtur namquè verba ad executionem futurā, non ad præordinationem & præparationem præsentē, ex qua futurus effectus prophetabatur, nam effectus supponit causam, nec de nō causa prophetari potest; benè tamen causa, & effectus; at effectus, non prophetata causa, supponit illam existere: ergo Deus mulierem sufficienti virtute ornatam ad illum operandum, loquiturque de existenti, Eua scilicèt: & cùm non intelligatur de Eua in persona, sed de Virgine, in illa actu pura in parentibus creditur: quia tantum, vt pura conterere caput Draconis, & inimicitias cum illo fundare valet, quod omne gratiam præexistere postulat; cùm peccatū inimicitiam operetur.

In consultò non est opinandum, prædixisse *inimici-* 20
tias in plurali numero, cuius intellectum philosophari possumus à contrario sensu earum, quas Apostolus cōmemorat à Christo Domino interfectas Ephes. 2. v. 16. *interficiens inimicitias in semetipso*, quas videlicet homo ad Deum habebat: peccatum namquè inimicitiam efficit cum Deo; vndè peccatum naturæ, Origi-

nale

nale nimirum, inimicitiam generis; actuale verò inimicitiam personæ: quas, quia originalis, & actualis Christus Dominus fuit Redemptor D.S.3.p.q.1.art.4. inimicitias hominis ad Deum in se ipso sua aboleuit passione; ideò è contra cum Diabolo alteram inimicitiam ab Originali puritas; alteram ab actuali immunitas fundauit ex plenitudinibus gratiæ, quæ huiusmodi recessus à peccatis petũt, quas concessas Beatæ Virgini, censendum est, fuisse, vt vaticinium adimpleatur in ea de inimicitijs inter Serpentem, & mulierem positis: ergo pura à peccato originali in parente est prædicanda.

21 Confirmant hunc sensum eiusdem sacri textus verba futuri, *morieris, & in puluerem reuerteris*: quæ reatum præsentem ad futurum effectum denotant per peccatum contractum: ergo Beatæ Virgini concessa intelligitur ibi Diaboli caput cõterendi virtus, quæ cùm nõ possit cum Originali compati, ab eo redemptam esse tunc, dicere oportet.

Fauet ampliationis regula, qua futurũ ad præsens ampliari solet: quia quod futurũ asseritur sine restrictione, nõ excludit præsens, sed durationem firmat: vt apparet in pluribus sacræ Scripturæ locis Gen. 9. *Ecce ego statuã pactum meum vobiscum*, cùm statutum sit ibi: quod necesse est dicere, eò quòd alio in loco nõ inueniatur statutum, & paulò post: *arcum meum ponam in nubibus, & erit signum*; etsi ibi apparuisse, sit certum ex ipsa littera: *hoc signum fœderis, quod do inter me, & vos*, per demonstratiuum pronomen, & verbum præsentis temporis, idem de pacto circuncisionis apparet cap. 17. *statuam pactum meum inter me, & te*: quod ibi firmatũ est, ex quo incepit eius obligatio, vt probat circuncisio Abrahæ: ad significandam ergo perpetuitatem, vtitur futuro; ideò, quia pœna, quæ per Virginẽ incutienda Diabolo in perpetuum erat, per futurum significatur, vt se- 22

 cun-

cundùm quod dictum est ex Sap. 11. sui sceleris recõpensationem haberet, & quæ per mulierem puniretur iniquitas: coinquinauit genus humanũ per mulierem in Adamo peccante, torqueatur igitur per mulierem in ea, liberato genere ab ipso peccato in eodẽ Adamo, virtute Secundi: vt qui caput vincit, vincatur à capite, hæc fuit ei data ob tentationem pœna, & vt cognosceret peccatum non obesse misericordiæ effectui, potius occasionem ad maiorẽ demonstrationem, vsque ad vltimum possibilitatis præbere in ipsis Parẽtibus peccantibus, & Christus Redemptor, & Mater puritatis culmine ex Filij meritis concesso in salutem humani generis præparantur decreti executione. nam, in Adamo redimi Virginẽ, est quid factum; sicut est in ipso peccasse omnes, & contraxisse reatum; à quo post peccatum Adæ liberata est Mater ob merita præuisa Filij, sicut Adam iustificatus: quod maius bonum fuit generi, quàm quòd, non peccante Adamo, omnes saluarentur, cùm excellentius sit, Deum esse hominẽ, quàm omnes saluari, quod & maior est Diabolo pœna inducenti ad peccandum.

Roboratur valdè: nam cùm ob Originale Deus omnibus in Eua malexisset mulieribus dicens: *in dolore paries*, Beatam Virginem non cõprehendit, quam sine dolore parientẽ Christũ, quem tunc disponebat Redemptorem aspiciebat: ergo eò quòd à peccato saluam faceret, quia exciperet à pœna non liberam à culpa, non est rationi, nec iustitiæ consonum, & D. S. ex Aug. cit. 3. p. q. 35. art. 6. ad 1. quòd *B. Virgo à sententia Euæ excipitur*, docet.

Confirmat veritatem hanc Luc. 1. v. 28. Gabriel Archangelus salutatione ineffabili dicens: *Benedicta tu in mulieribus*, quòd Elisabeth ibi v. 42, resalutans repetit. Quæ verba significãt, vt arbitror, Beatam Virginem esse solam benedictã, quãdo omnes mulieres maledi-

23

ledicebantur, hoc namquè ſonant: ergo cùm maledicerentur omnes in Eua, ipſa erat benedicta: ergo ab originali ſalua, quia omnes ob originale maledicebantur, cui ſenſui fauet S. Ildefonſ. lib. de laud. Beatæ Dei Genit. tom.7. Bibliot. Pat. Colon. Agrip. 1622. nec omnes mulieres aliquo alio in tẽpore, vel ſtatu maledictæ extiterunt, cùm ſemper in perſonis plures fuerunt ſanctæ; nec cum proprietate ſermonis poteſt dici, *in mulieribus*, ſuppoſitione facta pro omnibus, niſi accipiantur ſimul cum illa, & tantũ in Eua omnes fuerũt ſimul, vt in Parente, & præter Beatam Virginem maledictæ pœnali maledictione ob Parentis culpam: huic ſenſui præſtat fundamẽtum ſacer textus Gen. 6. v. 9. *Noe vir iuſtus, atquè perfectus fuit in generationibus ſuis*, & cap. 7. v. 1. magis declaratur: *te enim vidi iuſtum coram me in generatione hac*, reddẽs rationem liberationis eius à diluuio. Ex quibus verbis inferũt Interpretes, omnes præter Noe fuiſſe peccatores, & ipſum ſolùm iuſtũ, ideò omnes aquis diluuij perijſſe, ſaluo dumtaxàt Noe: quia illa dictio *in* facit ſenſum exceptiuum; & exceptionis eſt natura oppoſitum, quod affirmatur de excepto, affirmari de alijs omnibus: ideò eſt apud Iuriſperitos regula, *exceptio firmat regulam in contrarium*: qua propter vi horum verborum affirmatur, Dominum voluiſſe declarare Noe ſolum iuſtum, reliquos omnes peccatores, vt manifeſta eſſet iuſtificatio ſaluandi Noe, & puniendi cæteros.

Ad obectionem autem, quæ fieri poteſt, quòd deficeret communio Sanctorũ, 25 ſi Noe ſolus exiſteret iuſtus: reſpondetur, quòd nomine Noe vſurpantur Filij, ſecũdùm quod infra fiet notum; quia quodammodo ſunt idem, & cum vxoribus vnũ: ergo & Beata Virgo benedicta, cum cæteræ omnes maledicebantur, ſed non tempore ſalutationis, viuebat enim Eliſabeth ſantiſſimæ fœminæ, quæ vt talis

commendatur ab Euangelista Luc. 1. v. 6. cui maximum priuilegium est concessum, reuelatũ namquè fuit illi Mysterium Incarnationis, priùs quàm omnibus mortalibus, & quod magis est, priùs Sanctissimo Iosepho, qui illud ignorauit, vsquè dũ visa Virgine grauida, volẽti dimittere Matt. 1. v. 20. Angelus dixit: *Ioseph Fili David noli timere, accipere Mariã coniugem tuã, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*; at Elisabeth, cùm statim post salutationem, in qua Angelus illi dixerat, Elisabeth concepisse in senectute sua, cum festinatione in montana abiret ad eam visitandam, paucis diebus post Conceptionem Domini, sacramentũ hoc nouit, dicens: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus vẽtris tui*, quod sat erat, vt nouisse crederetur, adiecit tamen: *vndè hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me*: ergò esse benedictam, quando omnes maledicebantur, dicẽdum est, in Eua scilicèt, importareque puritatem à peccato Originali, quia benedictio à malo liberat, & bonum confert.

Dicet quis, benedictam nominari, eò quòd in Matrẽ electa fuerit inter omnes 26 mulieres; hoc autẽ non eneruat nostri sensus vires: quia antequàm in Matrem intelligatur electa, intelligitur benedicta, quia intelligitur idonea, & promeruisse Maternitatem, vt tradũt Theologi 3. p. q. 30. art. 4. & probant Angeli salutantis verba, quæ scripta nobis tradidit Spiritus Sanctus, vt cõgnoscamus, quàm dignè fuerit electa in Matrem, quæ gratia plena, cum qua Dominus, & benedicta in mulierbus erat; quarè sequitur: *Ecce concipies*. Quo ordine probat D. S. 3. part. quæst. 27. art. 4. plenitudinem gratiæ esse idoneitatis rationem: salutationis verba sunt de aliquo quod in salutatione conceditur, quia salutatio est per modum laudis, ideò ex suis, quia nemo laudatur, nisi de proprijs: ergo benedictam esse

Vir-

Virginem, eo modo conuenit ei, quo gratia esse plenã: ergo non est esse electam in Matrem, sed in Eua à labe puram: quia aliquid speciale debet significare, quod non significat gratia plena, ad idoneitatem maternitatis conducens; nil autem est aliud preter puritatem: ergo, &c. benedictio namquè alicui data aliquod priuilegium speciale signat ei impartitum, omnes in sacra pagina benedictiones hoc testantur: nã benedictio Dei illud cõfert D. S. 1. p. q. 73. art 3. vndè quę benedicta salutatur accepisse supponitur.

Quem sensum ostendit per os Elisabeth Spiritus Sãctus prædictis verbis, vt existimo: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*, benedicta scilicet benedictione, qua benedictus est fructus, nam repetitio eiusdem vocis media copulatiua coniunctione, idem significare oportet; at benedictio, in qua conuenire potest Filius cum Matre, in quantùm est fructus ventris illius: nam secundùm hanc rationem benedictus prædicatur, quia supra illã appellat; tantùm est immunitas ab Originali ex plenitudine gratiæ in suo concipi: nam fructus dicitur benedictus, secundùm primũ sui esse; si enim in hoc fuisset maledictus, vel aliquo in tempore, non diceretur absolutè benedictus, cùm aliquid maledictionis sit, maledictum fuisse, quod maximè de fructu verificatur, quia fructus est talis per primum sui esse: ergo de hoc verificatur, benedictum esse & consequenter de Matre: quia in illa summa benedictione Diuinitatis vnitæ, ratione personæ non conuenit cum Matre.

Totum hunc discursum videtur mihi traditũ ab ipsa, cùm ad verba Elisabeth præfata, Spiritu feruens altisonè canticum *Magnificat* intonuit, ait enim: *quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est*: agebat enim de Omnipotentiæ mirabili Incarnationis opere, secundùm supremum ad quod vltra progredi non potest factũ,

Deum

Deum scilicet fieri hominem: in qua consideratione, inquit, magna fecisse sibi Omnipotentem, magna nimirum beneficia, quæ magna absolutè, & sine restrictione vlla sunt respectu Omnipotentiæ plenitudinis: ergo quibus maiora nõ possunt fieri; cùm autem Elisabeth duo collaudet, benedictam esse inter mulieres, & benedictum fructum eius: & per benedictam esse, intelligatur gratiæ plenitudo, quæ depurat à peccato: & per benedictum fructum, vt ad Virginem refertur, dignitas Matris, vtrumquè tantæ sublimitatis affirmare ex Virginis verbis debemus, vt maius aliud nequeat intelligi, nec minus, si esset, Beatissima Virgo diceret, magna sibi fecisse, qui potens est, id est, in quantùm potens, loquens de ipso, & virtute eius Incarnationis opus efficiente: si enim Deus hoc supremum operans censetur potens, & magna facere, cùm illa facit Virgini: ergo respectu Incarnationis facti, hæc magna dicuntur, & respectu virtutis infinitæ, qua illud operatur; cũ hæc facit, dicitur potens: ergo magna hæc, quæ Elisabeth verbis correspondent, & Virgini sunt facta; non est præter Deum aliquid, quo possint esse inferiora, nec Omnipotentiæ in creaturis maior demonstratio possibilis: ergo benedictio Virginis suprema fuit, sicut & dignitas Maternitatis: ergo per benedictionem donum collatum gratiæ, quod subiectum ab omni culpa purũ expostulasse est fatendum, ex verbis Sacratissimæ Virginis, à qua dumtaxàt de incomprehensibilibus, & supremis sibi concessis donis nos erudiri, decebat.

Dubium consurgit, ex eò quòd dixi, Beatam Virginẽ fuisse liberam à pœna mulieris, propter primum peccatum illata, eò quòd ab eo salua in parẽte fuerit, quod verum non potest subsistere; indubitabile namq; est, defectus corporales contraxisse, sicut mortem, & alios, vt docet D.S. 3. p. q. 14. art. 3. hæc enim est differentia ibi

ibi inter Christum, & Matrem, quod Mater ex debito naturæ, filius verò voluntariè illos habuit.

27 Respondeo, Mater accepit corruptam naturam, filius sanam D.S. 3, p. q. 14. art. 3. quarè ipsa est passa defectus corporales corruptæ naturæ, quos filius elegit sibi; Persona verò Matris fuit sana, quapropter defectibus caruit sexus, qui est quid personale, sic S. Fulgēt. de laud. Mariæ ex part. S. Bonauent. specul. B. V. lect. 5. ideò nec sub viri potestate fuit, quia esse sub potestate viri, secundum D.S. 3 p. q. 35. art. 6. ad 1. *Significat commixtionem virilem, per quam dominatur vir corpus, & mulierem de qua & alijs pœnis Euæ libera fuit Beata Virgo* ex Aug. ibi cit. Hac ratione existimo, fuisse primam, quæ emittendi castitatis votum habuit facultatem, quia corpus erat sui iuris, eò quòd sine labe fuerit concepta, & à defectibus sexus muliebris ex eo liberata, non à defectibus naturæ; hoc igitur tantum, & speciale priuilegium in virginitate sub voto transigendi vitam, quod est absolui à pœna illa sub viri potestate viuendi in traditione, & vsu corporis, proprium fuit Beatissimæ Virginis, & eam sequentibus, illud promeruit, quod antea non apparet, fuisse Deo gratum; legitur enim Iudith. 10. filiā Iephte, quam Sāctam habemus, planxisse Virginitatem suā; flereque illam singulis annis filias Israel diebus qua- 28
tuor, quod commendat Sacer Textus: ergo vt rectum coram Deo, igitur in virginitate permanere non erat tale, quia plangere bonum, & melius nō licet, nec placet Deo; tristitia enim de malo est, huius enim perfectionis status sexus fœmineus Beatæ Virgini debitor existit, non virilis; credo, eis ab initio mundi licuisse in cœlibatu degere, refertur de aliquibus Sanctis Elia, & alijs: probat hominis creatio, factus est enim vir sine muliere, Deus autem in vniuersi creatione, quia procedit ordine naturæ perfectū

facit opus, nam etsi postea dixerit Gen.2.v.18. *non est bonum, esse hominem solum*, nō dixit de viro, sed de homine, secundū rationē speciei, quia speciei humanæ nō est bonū, cùm bonū eius sit cōseruatio, quæ soli viro non
29 est possibilis, nec multiplicatio, quæ naturæ est bonū, cū sit multiplicabilis ex se, & ad hoc data est mulier viro in adiutorium; ad perfectionem autem, bonumque personæ solitudo est melior; tum quia manet sui iuris totaliter; tum quia Deo vacare sine impedimento potest, & de bono spirituali, spreto temporali in libertate ab alienis fœliciter curare; aliter non esset verum, quod absit 1.Gen.v.vlt. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*: notum est enim, hoc dixisse Deum, ante diem septimum, nondum muliere formata, & virum, Adā scilicet, creasse die sexto, vt ibi dicitur: ergo; vnum ex valdè bonis, erat ipse, cùm distributiuū sit verbum *cuncta*; at mulier die septimo, vt omnes volunt, & ad intentum sufficit, quòd tunc non esset producta: ergo virum esse non sociatum mulieri, valdè bonum est personæ, non autē speciei: hoc pacto concordantur textus, & ex ipsis Catholica veritas cōfirmatur.

Sit quartum testimoniū: 30
compertum enim est, repromissionem factam Dauidi contineri illis verbis Psalm. 131. v. 11. *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, sic D.S.3.p.q.31.art.2. in c. quibus verbis expressè repromittitur, non solū Christus, sed Mater ex eius stirpe oriunda; quia dixit: *de fructu ventris tui*; quasi diceret, de filia tua filium ponam super sedem tuam, quia de ventre non est fructus viri, sed mulieris; quarè nulli alteri hoc fuit dictum, sed in semine, vt Abrahæ, & de fœmore, vt ipse significauit Gen.24. & communiter Sacer Textus de fœmore loquitur, cùm de propagine: & ratio est, quòd in eo, & in lumbis potentia generatiua residet, sicut mulieris in vtero: quarè puto, Dauidem

uidem esse primum, cui facta est repromissio Christi per Virginem, alijs verò Patribus, vt Abrahæ Gen. 22. v. 18. & Iacob. 28. v, 14. in semine, hoc est, quod ex eorum semine esset futurus, nil aliud exprimendo de eius generatione, sed confusè dumtaxàt fore ex eorum
31 semine. Ex quo infero, quarè speciali titulo dicatur filius Dauid, & Abrahæ, quia primus, cui facta fuit promissio, quod ex semine eius esset futurus, fuit Abraham; primus verò, cui per Virginem filium esset nasciturus, Dauid: quapropter vtriusquè specialiter dicitur filius, quia est filius, cui datus, & datus, cui promissus: Huius causâ existimo, in Genealogia Christi apud Matt. 1. v. 1. priùs collocatũ fuisse Dauid, tum quia texebatur ex Parentibus Virginis, & vt crederetur, esse filium Virginis sine patre viro, quod & reuellatum fuit Dauidi, & promissum, & nobis reliquit scriptum, *de fructu ventris tui*, excludit, Patrem, & Matrem affirmat: tum, quia filiatio per Virginem excellentissima est, cuius amore captus, & desiderio flagrans, formauit illum Psalmum, emittens cum iuramento firmatum votum arduum nimis: *si introiero in tabernaculum domus meæ; si dedero somnum oculis meis, &c.* donec inueniret tabernaculum Domino præparatum, quod est Beata Virgo, iuxta omniũ consensum, inuenit, & audiuit; quia Deus non patitur,
amicum igne consumi de- 32
siderij: *ecce audiuimus eam in Ephrata*, id est, Bethleem; quæ Ephrata dicitur, creditur enim ex his verbis, ostẽsam esse ei Beatam Virginem in Bethlem cum filio nato in loco natiuitatis, quò iuit, & adorauit: *introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius*, quemadmodũ Dominus dixit de Abraham Ioan. 8. v. 26. *Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum; vidit, & gauisus est*: facta fuit reuellatio Abrahæ, quod ex semine eius esset Christus, voluit vide-

re, & reuellatus fuit in persona; vidit enim illum, vt ipse testatur, reuellatū fuit Dauidi, vnam filiam eius fore MatremSaluatoris, optauit videre, & vidit; nō enim negandum est Dauidi, quod cōcessum fuit Abrahæ; maximè ipso in spiritu testante, qui postquam adorauit locum, ait,

33 *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca Sanctificaficationis tuæ*: requies Dei, est cessare ab opere, sic Interpretes Gen. 2. v. 1. creauit res, & cessauit, & ait: *requieuit Deus ab omni opere, quod patrarat*; non ab omni opere, sed ab eo, quod fecerat; erat enim facturus maius omnibus, nimirūm Incarnari, quo acto, nil remanebat de nouo faciendum; erat enim omniū finis, qui in executione est posterior, factoque, requiem simpliciter Dei sequi, erat necesse; quia ab omni opere cessabat, ob id dixit: *exurge Domine in requiem tuam*: & cū Incarnationis opus non sit solius Dei, sed Dei, & Virginis; adiecit, *tu, & arca sanctificationis tuæ*, quo datur intelligi, Beatam Virginem nullius peccati Originalis, vel actualis macula esse inquinatam; quia Arca sanctificationis peccatum non patitur, est enim in qua omnis sanctificatio inuenitur seruata, quod magis declarat verbum, *sanctificationis tuæ*; etenim sanctificatio Dei peccatum essentialiter excludit, ex repugnantia infinitæ sanctitatis, hanc secūdùm eius rationem formalem, puritatis scilicèt à peccato participatam inueniri in Virgine, quia alio modo repugnat cōmunicari creaturæ, prædicta verba declarant: nam quod in Arca reponitur, communicatū est, si verò non excluderet omne peccatū, non esset sanctificatio Dei, nec dictū fuisset sāctificationis tuæ; nō enim, vt magnū quid expostularet aductū Virginis, sub nomine Arcæ sanctificationis, nec tali titulo vtēs impetrare crederet, si esset sanctificatio communis: & dictio *tuæ* significaret dominiū, & non formalitatem: ergo &c.

Hæc

34 Hæc sanctificatio, & puritas à peccato concessa fuit Virgini in Adamo, dicat ipse Dauid. Hæc promissio de ventris fructu non fit in Psalmo, sed ibi repetitur facta, *iurauit Dominus Dauid, &c.* inuenitur 2. Reg. 7. v. 12. Nathan nomine Domini ad Dauid dicens: *suscitabo semen tuū post te, quod egredietur de vtero tuo*, & postquam Dauid v. 18 magnificat Dominum ob magnalia ibi promissa; suam, & Domus eius humilitatē recognoscens: *quis sum ego, Domine, &c.* v. 19. ait: *nisi loquereris de domo serui tui in longitudinem; ista est enim lex Adam, Domine Deus*: quid clarius? ergo in Adamo statutum fuit, filiam Dauid esse Matrem Dei, & Arcam sanctificationis suæ, vt ad esse Matrem prærequiritur; cùm lex sit Adam semen Dauid de vtero, id est, de filia, Virgine scilicèt egressum Christum Redemptorem esse; nec de alio potest intelligi, cùm dicat v. 20. *secundùm cor tuum fecisti omnia magnalia hæc*; non enim de aliquo temporali licebat taliter loqui, maximè Spiritu Sancto dictante Sanctissimo Regi Prophetæ: ergo nostrum sensum verba eius manifestant, ipso confirmante in Psal. cit. *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*: quod de promis- 35
sione Christi ei facta, omnes intelligunt, nec lex Adā potest accipi de filio Dauid futuro Rege, nimirum Salomone, quia non potuit esse materia Adæ: ergo intelligendum est de eo, quod Adæ competere potuit, secundùm quod verbis huius textus potest conformari: ergo de Vigine Matre Christi Saluatoris, Filia Dauid in Adamo lege statutū fore, & in eo salua; quia Mater, erat enim lex, non iustitiæ, sed misericordiæ; huius enim lex, est à peccato absoluere: ergo quælibet eius materia hanc rationem induit: ergo si Beata Virgo fuit materia legis in Adam, in eo fuit salua ex meritis filij cùm nullum sit misericordiæ opus; quod non sit ex illis, est enim illa lex, quā

David affirmat esse Adam, non iustitiæ, quia nō est pœnæ, sed misericordiæ, quia est maximi beneficij.

36 Sit quintum testimoniū Apocal. 12. per totum: mihi enim videtur ibi expressum, quòd Deus maledicens Serpenti dixit; quare cū D. Bernardo intelligo illū locum de Beata Virgine serm. quodam de eo; hic est textus: *& signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim* & præter id, quod à Bernardo ibi dicitur, esse vestitam Sole denotat puritatem eius, & hāc mulierem esse Beatam Virginem, etenim ipsa est tabernaculum Dei, de quo dictum est Psal. 18. v. 6. *in Sole posuit tabernaculum suum,* secundùm mentem D. S. 3. p. q. 27. art. 2. de quo infra, Sol autem non compatitur cum macula vlla, quia hæc est *defectus nitoris propter recessum à lumine*, vt ipse tradit 1. 2. quæst. 86. art. 2. Solē enim à lumine recedere, est impossibile; talis enim fuit concessa gratia Beatæ Virgini, vt sicut Sol non compateretur cū macula, ita vt subiectum peteret purum, vt explanabitur infra: dicitur vestita, quia non est gratia ei connaturalis, sed ab extrinseco, à Deo scilicèt adueniens; vndè verificatur, 37 in Sole positam esse tabernaculum suum, id est, in gratia, quæ Solis habet proprietatem, positam esse Virginē in primo sui esse, quia *posuit* significat *ædificauit*; vndè necesse est dicere, secundùm hunc intellectum esse liberā in Adamo, quia hæc gratia, sicut Sol, petit omnimodam puritatē subiecti: & confirmat sequens verbum, *Luna sub pedibus eius*, lux enim Lunæ est noctis & ab alio accepta, cum defectibus, & maculis; vndè videtur repræsentari per illam, naturam humanam lumine fidei, quæ est obscura, & reuellata, noctis, & ab alio illustratam, peccato infectā, qualis fuit in Adamo, post peccatum, in quo fuit Beata Virgo Sole vestita, quia in eo est quis, quod sub pedibus

bus habet, sed superior, & victor; sic Beata Virgo in Adamo, respectu maculatæ naturæ, *in capite eius*, quod est Christus speciali ratione, quia vt caput redemit eam in capite, *Corona stellarum duodecim*, vt cognoscatur, caput eius esse Christũ, qui duodecim stellis, Apostolis scilicèt coronatus est, vel duodecim donis ipsa Beatissima Virgo, vt ibi Bern.

38 Prosequitur: *Ecce Draco magnus Rufus habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata septem. & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram, & Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cùm peperisset, filium eius deuoraret, & peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea & raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius*; & paulo post: *& factum est prælium magnum in cælo; Michael, & Angeli eius præliabantur cũ Dracone, & Draco pugnabat & angeli eius, & nõ valuerunt, neque locus inuentus est eorum ampliùs in cælo; & proiectus est Draco ille magnus Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Sathanas, qui seducit vniuersum Orbem*; & postea v. 15. *Et misit Serpens ex ore suo post Mulierem aquam, tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine, & adiuuit terra mulierẽ, aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod misit Draco de ore suo, & iratus est Draco in mulierem, & abijt facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi*: quid clarius potuit nobis edicere? ecce Draco ille Serpens est ille, qui in primis Parentibus seduxit vniuersum Orbem; quandoquidem ipsis peccantibus, omnem hominem peccare fecit, hic cum in cœlo esset creatus, *visum est aliud signum in cælo: & ecce Draco magnus, &c.* reuellata fuit ei Beata Virgo Christum paritura, & Christus, quem occidere ipse voluit, vt supra expositum est, & hic deuorare velle dici-

tur

tur, quem Christum esse, satis ostendit littera narrata, cùm dicat, *peperisse filium masculum omnes gentes recturum, raptumquè esse ad Deū, & ad thronum eius*, quod tantùm de Christo potest verificari ad litteram, ratione cuius sceleris cecidit debellante illum Michaele; ideò in littera post Draconis occidere Christum vo-
39 lentis malitiam, bellum inter Michaelem, & illum, cū victoria, & casu describitur, secūdùm quod à nobis fuit expositum; illud autem flumen ex ore Draconis egrediens, peccatum Originale, quod ex ore eius tentantis habuit principium, significat, quod Virginem non tetigit: & illis verbis, abijt facere prælium cum reliquis de semine mulieris, inimicitias illas, quas ponere promisit inter semen mulieris, & Serpentis, satis ostendit; ita hoc textu mihi videtur clarescere, sensus ille 3. Gen tertij testimonij, vt ipse sit ipsa expositio, visum est enim, Serpentem esse Diabolum, caput fractum, septem capita, capitalia vitia, ideò dicuntur capitalia, quæ fracta sunt per Beatam Virginem, & semen eiùs; decem cornua, transgressionis decem mandatorum Dei, quæ ex capitalibus vitijs egrediūtur, significātur, quia Cornu quid tortuosum est, & recti tudini oppositū sic peccatū; erat rufus, quia homicida, secūdū ipsum Apostolū ibidem cap. 6. v. 4. *& exiuit alius equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei, vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus*: quibus concordantia huius textus cum illo 3. Gen aperta manet, & noster sensus ibi confirmatus.

An Redemptio in Adamo, vt capite, sit verè, & propriè Redemptio?

§. V.

Affirmatiuè respōdeo: quia in quo quis fit captiuus 1

ptiuus & seruituti subiectus, potest redimi; quæ proposi tio indubitata est: ergo si in Adamo, vt capite verè, & propriè omnes facti sunt ser ui, in eo propriè, & verè pos sunt redimi: quia eò quòd in eo peccauerunt, quilibet est peccati seruus, & cum peccato nascitur: ergo in eo potest propriè, & quodam-modo propriùs redimi, si enim indigentia Redemptio nis est, propter peccasse in Adam, ergo in eo Redemptio cum proprietate, seu maiori dicēda est: quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: ergo Beata Virgo redempta in Adam per Christum, verè est redempta, & Christus verè eius Saluator.

2 Exemplo fit notũ: si quis pretium daret Domino cuiusdam ancillæ pro libertate filij, quem sciret conceptura m verè, & propriè talis filius esset redēptus, quia pretio esset liberatus à seruitute, qua in Matre erat ligatus, & quam contraxisset; si non liberaretur in ea; quia Redemptio est à seruitute pro pretio liberatio: ergo potest fieri in Parente, si in ipso est ratio, qua filij serui sunt iure, quia à iure seruitutis liberari, est propriè redimi, non quod sit in persona præcisè.

Contra, quia D. S. 3. p. q. 27. art. 2. ad 4. non admittit huiusmodi Redemptionē: quia cùm argumentum intenderet probare, Beatam Virginem fuisse ante animationem Sanctam, eò quòd Parentes eius essent à peccato Originali liberati per gratiam; respondet S. D. quòd *Sanctificatio Parentum Beatæ Virginis fuit personalis, quæ non transit in prolem, quia non respicit carnem, sed mentem*, & alio in loco 4. Sent. quòd Redemptio debet esse in persona; quarè si Parentes essent redempti ea ratione, vt filij manerent liberi, non esset Christus Redemptor omnium.

3 Respondetur, duplex est modus Redemptionis in Parente: primus, cùm redimitur Parens, & eo ipso filij, vt cùm ancilla redimitur, filij nascuntur liberi redempti

vir-

virtualiter in illa: secundus, cùm redimitur filius personaliter, seu hic filius designatus, qui cognitus est futurus, vt fuit à Deo Beata Virgo, manente Parēte seruo, & reliquis filijs in illo. Primo modo non est propria redemptio filiorum, sed Parentum, in quo sensu non admittitur à D.S. Secúdo verò modo est propria, & huiusmodi fuit Beatæ Virginis in Adamo, vt capite, præuisa à Deo, pretio sanguinis Chisti præuisi; illud verò 4. argumenti parum facit ad rem, & solutio D.S. nil contra dicta: quia cùm Parentes ab Originali mundantur, non sanatur natura, sed Persona, quæ non communicatur filijs, sed natura, cuius est peccatum Originale, vt S.D. ait.

4 Notandum tamen est, redemi à peccato originali, secundùm ordinem naturę, vt sic dicam, non potest fieri, nisi in persona, vel in Adamo: quia fieri non potest, nisi in quo contrahitur culpa: in persona contrahitur in proprio esse, in Adamo verò in origine, siuè in capite, quod euidēs fit, eò quòd non potest dici, quod Petrus filius Ioannis peccauit in Ioanne, sicut dicitur peccasse in Adamo, nec originaliter, nec actualiter, quia Originale est Adami, & actuale personæ; peccata autem Parentum non trāseunt in filios, sed in quo quis peccat, tantùm potest redimi: ergo in persona, vel in Adamo dumtaxàt.

Demonstrationem hac confirmaui ratione.

§. VI.

IN Adamo potuit fieri redemptio generis humani ex Christi Domini meritis; sicut & ipse Adamus liberatus est ex illis: ergo Passio Christi huiusmodi virtutem habuit quoad sufficientiam; non enim hoc est meritis Passionis Dominicæ denegandū: tum 1

tum ex infinitate: tum ex perfectione virtutis; necesse enim est, quòd adæquetur totaliter, cùm sit virtus redemptiua, redimibilitati à peccato generis humani, immò vltra mensuram superare est opus; eò quòd Persona Diuina dignificet illam, vt suam; nam virtus redemptiua est Diuinæ Per-
2 sonæ, quam, vt cuius est, claudit conceptus eius formalis, eò quòd redimere à peccato Dei hominis solius est, sicut pro illo satisfacere: ergo si genus humanum in Adamo, vt capite potuit liberari à peccato, Passio Christi valuit quoad sufficientiam illud liberare: aliter in aliquo statu posset redimi, in quo Passio Christi non valeret illud redimere, & misericordiæ deesset cōmunicatio, infinitasque eius non manifestata, sed occultata maneret, excederetque reatus peccati virtutē, siuè excellentiam Personæ Diuinæ hypostaticè vnitæ, quæ est donum expellens miseriam culpæ, & peccatū magis afficeret genus humanū, quàm posset Christus Dominus sanare, maiorque esset maculatio, quàm potestas abluendi, & consequenter diminuta misericordiæ communicatio, & defectus videtur ex parte Dei, quia superaret miseria suæ misericordiæ infinitatem ad extra; cùm maius non sit possibile, quàm ipsius met Personæ Diuinæ humanitati vnitæ, misericordiæ opus: dicente Paulo Rom. 5. *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia*: ergo maioris efficacitatis, & am- 3
plitudinis fuit Redemptio, quàm ligamen peccati; nō ergo potest considerari modus, quo non fuerit humanum genus sanū per illam, vbi speciali modo inuenitur morbo culpæ laborans; in capite autem, vt in ipso genus maculatum credimus: ergo in ipso Redemptione sanum, saltem in aliquo indiuiduo; aliter non superabundaret gratia, vbi abundauit delictum: immò delictum superabundaret, si

genus humanum in capite non mundaretur gratia in aliquo, iam enim vbi delictum erat, non fuisset gratia: ergo non vbi obundauit delictum, superabundauit gratia.

Aliquodque malum posset subsistere irreparabile à Deo, quod blasphemum puto; quia cùm nulla reparatio peccati posset esse maior, quàm per Personam Diuinam, prout potest concipi, & hæc non esset sufficiēs; sequeretur, quòd cùm Adamus peccauit, & eo ipso in eo genus humanum maculatum mansit, quod in eodē Adamo malum esset generis humani irreparabile à Deo, quod absit: ergo dicendū est, quoad sufficientiam redemptum, siuè redimibile esse humanum genus in Parente per Passionem Domini.

4 Ergo in aliquo indiuiduo efficaciam habuit; quia cū sit ad manifestationem cōcessa redemptiua virtus, & non manifestetur non exercita, quia solùm factum est manifestum; necesse est, vt efficacem fuisse, saltem in aliquo indiuiduo, fateatur, ne frustra data diceretur virtus, & cùm hæc ad finis cōsecutionem, qui manifestatio est misericordiæ infinitæ, vt medium sit electa totaliter, inutile esset in hac ratione; & finis, qui in executione mediorum, vt eorum effectus, cōsistit, ea careret: nec copiosa absolutè diceretur redemptio, quia copiositas non est intelligenda quoad indiuidua, cùm non omnes homines salui fiant, nec quoad sufficientiam, quia hæc non facit copiosam arborem, sed fructus: ergo quoad effectus secundùm omnes Redemptionis modos, & in omni statu, in quo redimibile est humanū genus, esse efficaciter redēptum in aliquo ad minimū indiuiduo; cùm fructus Redemptionis, vt copiosa dicatur, sit efficacia, & affectus. Psal. 129. quarè misericordiæ demonstratio, hoc modo possibilis per Redēptionem à Christo Domino,

no, abeſſet: quod non parũ derogat eius bonitati liberaliter nobis condonatæ; vndè & miſericordiæ infinitatis manifeſtatio, quæ eſt finis Dei operantis ad extra, non ſubſiſteret: ergo facta fuit in aliquo: ergo in Beata Virgine, cùm de alio affirmari non deceat.

5 Nec contemnẽda eſt alia ex dictis, quæ deducitur ratio huiuſmodi: Chriſtum Dominum generis humani eſſe Redemptorem, credere oportet; at cum maiori proprietate dicitur talis, ſi genus humanum in Parente redimat, quàm ſi ſingulos redimeret homines, quia propriùs fuit genus humanũ in Adamo, quàm in ſingulis omnibus, cùm in eo Originaliter totum ſit vniuerſaliter ſumptũ; in ſingulis verò ſingulariter; ideoq; in illo dumtaxàt propriè fuit genus, potuitque contrahere peccatum: nam ipſo non peccante, omnes poſt ipſum, etſi peccarent, non ideò genus fœdatum, nec peccatum naturæ, cum qua, quia ſuum, transfunditur, exiſteret vllum: ergo dumtaxàt in Adamo potuit genus humanum peccato ligari, ergo & in ipſo cùm maiori proprietate ſolui: nam in quo primò infirmare poteſt, in eo propriùs ſanare: ergo redimens in Adamo genus propriùs exiſtit, & denominatur eius Redẽptor: ergo redemptum fuit in Adamo: ergo cùm non ſit totum redemptum, fuit in aliquo indiuiduo, quod in Adamo, vt in origine erat, quia prout ſic conſideratur genus in ipſo Redemptum, cùm ſit generis ratio eſſe in origine. Ipſe autem Adam non eſt in origine, nec in ipſo natura ſanata, ſed perſona, quia non fecit ſibi peccatum naturæ, ſed filijs, in quibus, etſi ſanatur, cùm iuſtificatur aliquis, vt cùm per Baptiſmum ab Originali labe mundatur homo, non tamen ideò natura eſt ſana, ſed perſona. D S. 3. p. q. 27. art. 2. ad 3. Vndè eſt ſana Petro cuius eſt, nõ Ioanni, etſi filius ſit Petri, quia ad filium non tranſit ſanctitas patris, ſed natura, quæ in Adamo 6

damo originaliter, fuit efficientes in filium per patrem traducenda.

7 Nec parùm iuuat intentum, videre tot modis Redemptionem per Christi Domini meritum executã efficaciter. Videntur namq; à peccato Originali liberi: in infantia, vt Abel; in alijs statibus quàm plures ex opere operato per sacramẽtum, vt causam, & per circuncisionem, vt signum; ex opere operantis per pœnitentiam, & alijs modis, ita vt considerari non possit, qui non inueniatur factus præter præfatum in Protoparente propositum, qui cũ sit præcipuus, priùs omnibus est exequendus: nam in ordine perfectionis, cuius est Redemptio, priùs ponitur quod perfectius est; ideò Christus prædestinatorum primus, & antequã mulier productus vir. D. S. super Gen. cap. 3. ergo efficacia Passionis Christi ad hunc redimendi modum est concedenda, cùm præcipuè sit ad genus humanum liberãcũ prædestinatus Christus, quarè principaliùs ad peccatum Originale delendũ; quia est totius generis humani, & maius extensiuè, vt docet D. S. 3. p. q. 1. art. 4. ergo eo modo, quo propriùs dicitur deleri, deleuit illud: ergo in Adamo genus humanum liberatum est in aliquo indiuiduo, quod ex indè sine peccato fuit concecceptum: ergo Beata Virgo, de qua sola hoc affirmare licet.

In hoc Redemptionis modo maior ostenditur misericordia, & virtus redimentis, ergo si ad manifestationem infinitæ misericordiæ in maiori virtute redimentis est facta Incarnatio Domini, huiusmodi redẽptio fuit potior in virtutis efficacia; antecedens est notum, quia quantò minùs ad iustificationem operatur peccator, tantò magis relucet, & est misericordia maior; vt ex opere operato, quam ex opere operantis gratiæ collatio, maiorque virtus, quãtò ad effectum minor proportio ex parte materiæ inuenitur, vt patet in miraculis, 8

lis,

lis, quæ ex hac causa probant diuinam virtutem; & creatio, quia ex nihilo, infinitam: quapropter maior misericordia, maiorque virtus redimentis est sanctificatio Ioannis in vtero, quã Petri pœnitentis, quod probat rarò factum: ergo excellentia virtutis, & in ipsa, misericordiæ efficacia, ostenditur in redemptione generis in Adamo, longè meliùs quàm in alio redemptionis opere, quia subiectum huiusmodi Redemptionis nõ existit, & minor est in eo ad eam proportio, quantò remotius ab esse, quod tantũ habet in origine: ergo maior ostenditur in eo misericordia, & virtus redimentis.

9 Cumque genus humanũ ex demonstrationibus factis, in Adamo esse redimibile, constet; redemptumq; per Christi Domini merita saltem in aliquo indiuiduo, quod ex eo conceptũ, absquè Originali peccato est asserendum, & de Beata Maria Genitrice Dei, quia de alio nefas est cogitare; liceat, decernente Concil. Trident. cit. omnes peccatũ Originale, præter ipsam, de qua nil determinat, contrahere; qui via generationis naturalis à Protoparente ducunt originem, ipsam esse sine labe conceptam, est absquè hæsitatione tenendum.

Exemplum sit; vt omnes
doctrinam capiant: quis ob 10
heroicas virtutes ad nobilitatem euectus fit sui generis caput; ex quo in ipso nobilitantur omnes posteri: hic antequam aliquem generet, læsæ Maiestatis crimẽ incurrit, quarè omnes in ipso ab eo per generationem propagati, macula infecti existunt illa, quia eò quòd caput generis ille constituitur, genus fœdauit totum crimine illo, & quod personale fuit ipsi, generis est filijs; non tamen antequam sint, illud incurrunt, nec quoad debitũ, nisi vt sunt aliquid illius, seu in genere illo contenti, sed vir ille illis hoc acquisiuit: non in personis, sed se fecit nõ aliter posse generare, eò quòd suum maculauit sanguinem, quarè non potest communicare illum

non

non maculatũ Quòd si Rex vellet, quòd aliquis nepos illius auita deperdita in Parente nobilitate frueretur, ob aliquem finem, sibi agẽti liberè à se præstitutum, in ipso Parente fieret liberatio dicens; volo, vt talis huius filius ab huiusmodi nota sit liber, quo sine macula conciperetur nobilis, & gauderet natus. Hoc, proportione seruata, de Beata Virgine asserendum, euidẽs esse in Theologia, factis rationibus arbitror.

21 Ex dictis puto dicendum, Beatissimam Virginem debitum peccati non contraxisse, quia illud est generis, siuè naturæ, non personæ, quòd si in Adamo liberati essent omnes, nullus debitũ contrahere diceretur; debitum namquè fuit in Parente ad communicandam naturam cum macula, quia maculatum, siuè macula communicari non potest, si non prius mundetur ab ipsa, quia nil contrahere debiti vel culpæ potest, quod est, antequàm sit, quia antequàm sit, non est, & quod non est, debitum habere non valet.

Oppones: ergo nulla est gratia liberatrix, nec Redẽptionis effectus, si debitum non traxit Beata Virgo.

22 Respondeo, quòd est gratia liberatrix in Parente, cuius effectus est, Beatam Virginem esse à peccato, & debito illius immunitate cõceptam, nam cùm ipse Parens deberet transfundere maculam ex infecto sanguine in posteros, ab hoc defectu quoad generationẽ Dominæ ex meritis Christi est absolutus, & ex eisdem Domina libera in ipso. Vndè non tenetur, quasi dicam, generare peccatorem, sed absque peccato. Quarè in genito nullum ad peccatũ potest considerari debitum, eò quòd in Adamo, vt capite liberaretur, debebatur ei communicari natura sine peccato; ergo non cum peccati debito, sed cum gratia ex Christo liberante illam in capite.

Nec ex hoc sequitur, aliquem sanguinem ab Adamo per Parentes transmis-

fum, vsque ad Beatam Virginem deriuatum Mundū, quia hoc sine fundamento mihi videtur dictum, S. D. 3.p.q.31.art.6.1. & formalius art.7.1. sed ea ratione, qua dicitur Petrus in Originali conceptus, quia Adæ filius; eò quòd in ipso vt in origine peccauit: Virgo Maria sine eo est concepta, eò quòd in Parente est liberata, vt in origine, quia contrahere peccatum ad Protoparentem dicit immediatum ordinem, quia in ipso natura est maculata: non enim à proximo Parente hoc aliquomodò habet natura, sed per respectum ad primum. Itaque communicatur ab immediato, ut est communicabilis à primo, ideò infecta; quod si in primo, respectu alicuius fuit mundata, mūda communicatur, quia hoc modo est communicabilis ei à primo.

14 Cur cùm Adamo ex meritis Christi, post peccatum per pœnitentiam gratia fuit collata, non dicatur in ipso sanctificatum, siuè redemptum genus humanū, cùm per peccatum nō desineret esse caput: nam si peccatum hanc auferret dignitatem, nec in ipso, vt Capite Beata Virgo esset liberata, quia liberata debet esse post peccatum?

Dico, peccatum Adæ respectu ipsius, esse actuale, respectu autem cæterorum Originale; hoc est, in ipso, vt suum, personale, vt aliorum naturæ; vndè iustificatus fuit, vt particularis persona; quemadmoduùm quælibet altera, non vt caput. Quarè, etsi in ipso non mansit culpa, mansit ad illam naturæ reatus, quod est manere infectam originem, in qua nō potuit Adamus ab Originali mundari, quia nec ipsi potuit esse Originalis culpa, eò quòd nō haberet originem aliam, cùm Originalis culpa sit ab origine in originatum procedens. Nec potuit Adam in origine liberari, quia vt aliquis in origine à culpa liberetur, necesse est, quòd antequàm existat, præcedat origo, in qua originaliter esse dicatur, quod repugnet primo. Vndè nec ab

ori-

originali,nec in origine potuit absolui, sicut Beata Virgo, cui hoc genus Redemptionis conuenire afferitur, & contradicēte Adamo,cui & pro genere satisfacere nō adfuit facultas,nec valuit.

15 Dices,probabiles esse rationes,nō maioris efficaciæ; nituntur namquè fundamēto probabili, videlicèt,Christum vi primi decreti venisse Redemptorem,decretumque esse actum misericordiæ, quæ est Thomistarum sententia, cùm alia sit opinio plurium Theologorum, fuisse communicationis Diuinæ bonitatis in exaltatione humanæ naturæ, quod probat illud Nicæni Symboli: *qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis*: vbi illud verbum *propter nos homines*,quod priùs,quia principalius est dictum, exaltationem naturæ humanæ,esse decreti motiuum Incarnationis significat, primò, cui associatum est aliud, *propter nostram salutem*, salus scilicet hominum: ergo nō est solidum,& firmum fundamentum ad conuincendū, quo vtuntur rationes suprà factæ.

16 Respondeo, rationes abstahere ab vtraque parte opinabili, sistereque in eo, quod vna,& alia fatetur;nimirùm quòd Christus Dominus venit ad saluandos homines; & quòd salus fuit facta per ipsum, quod fide est tenendū,nil curās de eo, quòd si homo nō peccaret, veniret, vel nō veniret, nec de speculatione decreti Incarnationis,sed de facto,secundū quòd vera sunt omnia dicta;nā eò quòd ad salutē ordinetur Incarnatio, & per ipsam fiat Redēptio, ita vt sit verum, quòd propter nostram salutem descendit de cœlis, oportet; Redemptionē fuisse omnibus modis,quibus possibile est fieri, factam, perfectior, & amplior, vt nulla alia inter possibiles possit illā excedere.

17 At existimo, esse notum omnibus fundamentum in principio demonstrationis positum, quòd finis vniuersi & Dei operantis illud, est manifestatio suæ bonitatis

per

per modum misericordiæ, & iustitiæ infinitæ in Incarnatione Verbi per modum Satisfactoris, & Redemptoris facta, de quo nulla inuenitur opinio contraria; quia hucusquè credo, non fuisse excogitatum, esseque consequentiam necessariam, vt ibi ostensum est.

Ad id verò de Nicæno Symbolo: dico probare intentum; nam prima pars, scilicet *propter nos homines* denotat iustitiæ opus, satisfecisse pro nobis; secunda, verò *propter nostram salutem*, misericordiæ, morbo peccati laborantibus cõdonasse salutem, in quibus completur Incarnationis beneficium nobis diffusum.

Credo tamen, hoc fieri
18 media exaltatione naturæ, quæ est quasi posterior in decreto habens rationem beneficientiæ respectu naturæ; respectu Dei gloriæ, & laudis magnitudinis, seu celsitudinis eius; est enim exaltatio naturæ ad manifestandam magnitudinem Diuinam, prout continet magnanimitatem largitionis, non acquisitionis; in nobis enim est virtus acquirendi magnos honores ex eorũ inopia; in Deo verò largiendi, ex eorum copia, quarè debet esse maior quã possibilis est, vndè & supponere peccatum, secundùm quòd supra dixi, quia quantò magis inferior est status, à quo ad superiorem est erectio, maior est exaltatio, & exaltantis magnitudo ostenditur; infimus autẽ status omnium possibilium est peccati; supremus Dei: ergo naturam peccato infectam, siuè genus humanũ prolapsum ad Diuinũ esse assumi, maior omnium possibilium est exaltatio, qualis non esset, peccato non præsupposito, quod omne inuenitur decantatum in Psal. 112. in quo Dauid ad laudem, & gloriã Dei varijs modis concitat; eò quòd *in altis habitans, humilia respicit suscitans à terra inopem; & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum Principibus, cũ principibus Populi sui*: ita clara sunt verba, vt expositione non indigeant.

Aliæ rationes proponuntur.

§. VII.

PRIMA.

1 SVppono, Deum eundẽ ordinem seruare in rebus supernaturalibus, quem naturalibus præstituit; ratio est, quia tam hæ, quàm illæ sunt opus sapientiæ suæ, vt docet D.S. plurimis in locis 1. p. q. 15. art. 1. & q. 45. art. 3, & 47. ferè per totam, cuius regula est essentia sua, quam imitando operatur, quæ eadem cùm sit, eundem ordinem, proportione seruata, in omnibus efficit, quarè D.S. 1.2. q. 113. quæ est de iustificatione impij, per totam; docet, ad infusionem gratiæ prærequiri motum liberi arbitrij disponentem, eò quòd forma naturalis petat huiusmodi dispositionem, & 2.2. q. 24. art. 6. idem probat pro augmento charitatis, eò quòd habitus naturalis augetur actibus, & 3. p. q. 89. art. 2. idem tradit circa gratiam redditam peccatori per pœnitentiam, ad cuius mensuram peccatorem resurgere in gratia, asserit: *manifestum est autem*, ait, *quòd formæ quæ possunt recipere magis, & minùs; intenduntur, & remittuntur, secundùm diuersam dispositionem subiecti; & indè est, quòd secundùm quòd motus liberi arbitrij in pœnitentia est intensior, vel remissior, secundùm hoc pœnitens consequitur maiorem, vel minorem gratiam*: dixerat in principio Corporis, *quod motus liberi arbitrij est vltima dispositio ad gratiam*, quod tradiderat loco 1.2. cit. quibus omnibus supponit, quod & ego, seruari scilicet in supernaturalibus, quod in suis seruat natura; non enim illud probat, nec declarat; sed supponit notum, vt patet per illud verbum: *manifestum est autem*, gratia enim perficit naturam; vndè & ordo eius in ordine gratiæ inuenitur perfectius: quo iacto fundamento, hæc forma formatur discursus.

A ratione medicinæ, & 2 confectionis eius repellitur morbus; sicut à ratione calefa-

lefactiui frigus, eò quòd cõtraria sint, contraria namq; contrarijs curantur; medicina enim expulsiua est morbi, sicut calor frigoris; vndè sana, & morbo carens, non tantùm esse, sed & considerari oportet; quod de omni ad conficiendam illã ingredienti, necesse est fateri; quia morbo laborans cõponere medicinã sanatiuã sui non potest: quis enim debito ordine procedens, quem natura docet, id quod sanandum est, morbidum, cùm sit, volens medicinam ei præparare, illud assumeret ad confectionem? Contradicit enim naturæ ordini, & debito, idem esse medicinã sibi quomodolibet; medicinam, inquam, ab extrinseco, id est, à Medico applicandam, quia æger est patiens; & illa agens extrinsecum; sed decretum prædestinationis Christi, est cõfectionis medicinæ ad sanãdum genus humanum peccatis, D. S. 3. p. q. 31. art. 7. maximè Originali, idẽ ibi q. 1. art. 4. laborans; volens namquè Deus suæ misericordiæ infinitæ facere ostensionem, à peccato hominẽ liberare decernit, carnemque ex Beata Virgine assumere determinat; vndè decretũ prædestinationis Christi Redemptoris, quod est medicinæ, est velle, Verbũ Æternum hominem fieri ex eius Genitrice Virgine Maria; vndè medicina erit eius obiectũ, quod formaliter est Deus homo ex Virgine generante illum; quapropter Virgo Maria generans intrat rationem confectionis illius, quia conflatur ex eo quòd Deus se vnit, & 3
Virgo generat; cùm autem hoc obiectum sit ipsa ratio medicinæ à Deo præparatæ ad sanandum morbum peccati, maximè originalis, vt docet D. S. 3. p. q. 31. art. 7. Cor. & probant verba Aug. sup. Gen. ad litt. cit. in arg. sed contra, quòd *Christus in Abraham decimatus non est, cuius caro indè non feruorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit*; quia caro eius medicina fuit, vt ibi S. D. probat; sed caro illa non fuit ex Virgine, sicut ex A-

braham originaliter, sed realiter, & physicè ex purissimis sanguinibus Virginis, D.S.3.p.q.31.art.5. ergo intrat rationē medicinæ, quia est caro ex carne eius, sinè carnis suæ, non potest, ordine seruato naturæ, quē Deus nullatenùs transgreditur, aliquid ingredi, seu integrare tale obiectum peccato Originali infectum, aliter ægrū sui medicinam integraret, cùm autem Virgo Maria taliter intret obiectum decreti prædestinationis Christi, vt impossibile sit concipi, non concepta ipsa, quia non potest intelligi decretū efficax Christi, nisi à Virgine Genitrice, quandoquidem est ipsius Incarnationis fieri, & esse hominem in sæculo natum, quod est Virginis opus: sicut, & Dei, secundū quòd Mater, efficax namquè decretum est ipsum facere; quia in Deo velle, & facere, idem sunt, & non fit, non cō currente Virgine: quarè Dauid Psal. 113. *Surge, Domine, in requiem tuam*: ad Incarnationē *tu & Arca sanctificationis tuæ*, Virgo Mater generans: vide sup. sect. 1. §. 4. n. 31. ergo ex ordine debito, quem Deum seruare est notum, dicendum est, Beatam Virginem nullum peccatū actuale, vel Originale contraxisse; aliter Deus ad conficiendū medicinā aliquid morbidum, pro quo sanando, illam conficiebat, assumeret; quòd hominum nemo sanæ mentis faceret.

Si dicas; Virginem Mariam intrare; vt causam; ea ratione, qua Mater est causa filij; non vt partē medicinæ, quæ præcisè est Christus; quarè non est necesse, morbo carere, quemadmodùm ignis ad confectionem medicamenti operatur, qui ab ipso potest extingui. 41

Contra, quia Beata Virgo intrat quemadmodū simplicia pharmaca ad componēdū ex ipsis medicamen, cū ex suo purissimo sanguine formata sit caro Christi, supra quod addit influxum Maternæ virtutis: ergo etsi non sit pars medicinæ ex parte eius, quæ sanguis purissimus fuit, conflata est medicina, cooperāte ipsa; ideoque

quę intrat rationem, & cõpositionem eius; ad quam electa, & præparata est à Deo medicinæ artifice; exẽplum autem de igne nullo modo tenet, quia deseruit per modum instrumenti in fieri; nil enim præbet sui medicamento, nec in illud formaliter influit; quis enim Pharmacopola sapiens ad condendum medicamentum calidũ, aliquod vt causam assumeret frigidum? & quod magis est, quo ordine existimari potest, ipsam rem morbidam frigiditate, quam medicari intendebat?

5 Dato tamen, vt magis clarescat ratio, suppono ex fide, rationem contrahendi peccatum Originale esse naturam humanam ex Adamo per generationem naturalem deriuatam, quod docet D.S. 1. 2. q. 81. art. 1. & reliquis. Suppono prætereà ex ipso 1. p. quæst. 41. art. 5. quòd ratio generandi est ipsa natura generantis, sicut homo genitus, ait, est similis generanti in natura humana, cuius virtute pater potest generare hominem; illud ergo est potentia generatiua in aliquo generante, in quo genitum similatur generanti; ergo sequeretur, cùm natura humana in Beata Virgine sit ratio generandi, siuè efficiendi medicinã peccati Originalis, esset, & contrahendi illud, siuè morbo laborandi, pro quo medicando, illa inuenta est medicina; vndè eadem esset ratio medicinæ, & morbi sanandi per ipsam, quam assumere Deum, repugnat ordini debito, & naturæ, quem in suis operibus seruare, est fatendum; ergo natura humana Beatæ Virginis, quæ est ratio generandi medicinam, Christum Dominum scilicet, non est ratio contrahendi peccatum Originale, morbum videlicet auferendum per illam in eadẽmet natura singulari subsistente, Virgine nimirùm: ergo immunem fuisse, est asserendum, quæ etsi non sit medicina, esse quid medicinale, ex dictis conuincitur.

6 Oppones: qua ratione potest esse medicinale quid Bea-

Beata Virgo, cùm sanata fuerit in Adamo per Christum, quemadmodùm prima demonstratio ostendit?

Respondetur, quòd non eligitur in Adamo ad medicinam, sed in persona; nõ enim intrat obiectum prædestinationis Christi in Adamo, quia in ipso Mater esse non potest, nec esse in se; Mater enim Dei talis persona est, secuudùm quòd peccatũ Originale habuisse, non potuit; quia medicinale infirmitate laborare, non est dicendum, maximè eadem ratione naturæ, qua Mater est, & esset peccato infecta; liberam igitur esse in persona, est confitẽdum.

SECVNDA RATIO.

7 Verbum Diuinum carnem assumpsit ad redimendum genus humanum, ita vt Incarnari consideretur medium, & Redemptio finis, saltèm in executione disponente Deo per suam Sapientiam; ergo Redemptio generis humani totam plenitudinẽ Redemptionis intra genus illius cõtinet; quia medium proportionatur fini, cùm recta eius ordinatio hoc petat; inordinatè namquè procederet, qui resistẽtiæ vt quatuor applicaret vires vt octo: frustraque iudicaretur facere, quod Sapientiæ Diuinæ absit imputari, sed Deũ Incarnari, est summũ opus: ergo redimi genus humanũ, summũ in genere Redemptionis continens omnem plenitudinem eius.

Confirmatur, bonitas medij ordinarur ad bonitatem finis, qui si est effectus, vt Incarnationis, & passionis est Redemptio, debet adæquari quoad posse bonitati causæ, quę ad ipsum ordinatur, hæc enim est rectæ ordinationis ratio: ergo Redemptio operi Incarnationis, & passionis Domini, tunc autẽ adæquatur effectus virtuti causæ, etsi sit infinita, quandò omnem possibilem perfectionem, & modum sui generis habet, quia prout sic modum infinitatis dicit, quandoquidem intra genus non limitatur, vt docet D. S. de specie Angelica in indiuiduo, quòd omnem pos- 8

sibilem

ſibilem perfectionem ſuæ ſpeciei habet, ideò infinitatem in illa: ergo idem dicẽdum eſt de Redemptione.

Idem ſit diſcurſus de ſanctificatione naturæ, ex meritis Chriſti facta; eò namquè debet fieri omibus modis: ergo in Adamo, & in Conceptione Beata Virgo Redempta in illo, & in hac ſancta.

TERTIA RATIO.

9 Puritas eſt receſſus à peccato, quia purũ dicitur per receſſum à cõtrario; vt Deus actus purus, per receſſum à potentia: ſtat tripliciter, per repugnantiam, per non poſſe, & per non habere peccatum; per repugnantiã Deus eſt purus, cui eſſentialiter peccatum repugnat; per nõ poſſe, Chriſtus Dominus, paſſione Vnionis hypoſtaticæ; per non habere Beata Virgo, vt notum fiet; cùr repugnat peccatum, non poteſt ei ineſſe, nec ineſt; qui non poteſt habere, non habet, non tamen ei repugnat: qui non habet præciſè, poteſt habere, & ei non repugnat; itaquè ſupremum puritatis, eſt repugnantia ad peccatum; medium, nõ poſſe habere; & infimum, non habere: in ordine ſanctitatis, & puritatis ſupremum eſt Deus; immediatũ Chriſtus, cui proximior eſt Virgo Mater, quæ inter creaturas rationales in genere puritatis eſt ſupremum. Tunc ſic *ſupremum infimi attingit infimum ſupremi*, vt eſt principium communiter receptum; ſed Beata Virgo eſt ſupremum infimi, collectionis ſcilicet creaturarum rationalium, in ordine puræ creaturæ in genere ſanctitatis, & puritatis: ergo attingit infimum ſupremi, quod eſt nullum prorſus habere peccatum, non autem, non poſſe habere, vel repugnare: ergo Originali fuit immunis.

Ex quo, quia Beata Virgo eſt ſupremum quid in ordine ſanctitatis ex omnibus puris creaturis rationalibus, cùm gratiæ plenitudo ſuprema conſtituat idoneũ ſubiectum Parentis Chriſti, non immeritò poteſt inferri, conuenienter eſſe Matrẽ 10

ſine

ſine Patre, quia ſupremum in quolibet genere oportet eſſe vnicum, vt Æternus Pater, *ex quo omnis paternitas in Cœlo, & in terra nominatur*. Epheſ. 3. v. 15. vnicus neceſſariò ſine Matre exiſtit, quod proportionaliter liceat dicere de Beata Virgine; nam cùm Chriſtus ſit caput hominum, & Angelorum, corpus eius myſticum illi conſtituunt; vndè quia Beata Virgo Mater eſt Chriſti, Mater omnium hominum, & Angelorum eſt inuocanda, proprietate maiori hominum; nam ratione naturæ humanæ competit ei hæc Maternitas, à qua omnis in cœlo, & in terra quodammodò nominatur D. Bern. ſerm. 2. Pentec.

QVARTA RATIO.

41 Poſtquam Summi Pontifices, Sixtus IV. ſuis conſtitutionibus, in Concilio Tridentino ſeſſ. 5. §. *declarat*, approbatis de peccato Originali, Pius V. Paulus V. Gregorius XV. ſuis Apoſtolicis litteris decreuerunt, & pœnis grauibus impoſitis ſanxerunt, nè publicè, nec priuatim doceretur, Beatam Immaculatam Virginem Dei Genitricem Mariam in peccato Originali fuiſſe cōceptam, libertatem docendi, & prædicandi oppoſitum concedētis, Feſtum ſub nomine Conceptionis per vniuerſam Eccleſiem ſolemniter cum Officio omnibus Regularibus, & ſæcularibus duplicis maioris celebrare præcipientes, prohibito Sāctificationis nomine, & à Breuiario, & Miſſali noſtro abolito, non eſt diffinibile in peccato Originali conceptam, aliter de falſitatē Summi Pontifices cum Cōcilio Tridentino eſſent arguendi, & fautores falſum colendi, vt neceſſe eſt aſſerere, ſi diffiniretur: ergo indiffinibile eſt aſſerendum; ſed hoc Myſterium diffinibile eſt, cùm ſit purum gratiæ, & quod diffinibile eſt in huiuſmodi Myſterijs, verum eſt, & indiffinibile falſum: quia diffinitioni, ſicut & fidei, falſum ſubeſſe non poteſt; & verum ſubeſſe, eſt neceſſe, quia veritati primæ nititur, & fide eſt tenendū,

D.S.

D.S.2.2.q.1.art. 3. ergo indiffinibile cùm sit, Virginē Dei Genitricem in Originali culpa esse conceptam, falsum est;& oppositum verū, diffinibileque.

12 Dices, non esse diffinibile ab extrinseco, ex decretis Pontificum relatis.

Contra, quia Pontifices, quorum est Spiritus Sancti assistentia diffinire veritatē fidei, non potest credi, nec licet cogitare, posuisse obicem diffinitioni veritatis in Mysterio gratiæ, eò quòd protexerint falsum; quod necesse est dicere, si verum est, conceptam fuisse cum macula Originali:ergo non tantùm ab extrinseco, sed ab intrinseco indiffinibile est asserendum, hacque de causa decretis Pontificum obstare diffinitionem, ita vt indiffinibile sit ab extrinseco;quia ab intrinseco est indiffinibile; aliter inconueniēs sequeretur prædictum: ergo,&c.

SECTIO II.

Ex principijs D.S. manifestatur idem.

§. I.

3. part. quæst. 27. art. 1.

1 QVærit 3.p.q.27.art. 1. *Vtrum Beata Virgo Mater Dei fuerit sanctificata ante Natiuitatem ex vtero? Et respondet: rationabiliter creditur, quòd illa quæ genuit vnigenitum à Patre plenum gratiæ, & veritatis, præomnibus alijs maiora priuilegia gratiæ acceperit, vndè vt legitur Lucæ 1. Angelus ei dixit, Aue gratia plena. Inuenimus autem, quibusdam alijs hoc priuilegium esse concessum, vt in vtero sanctificarentur, sicut Ieremias, cui dictum est Ierem. 1. antequam exires de vulua, sancti-*

ficaui te, & ficut Ioannes Baptista, de quo dictum est Luc. 1. Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ; vndè rationabiliter creditur, quòd Beata Virgo sanctificata fuerit, antequàm ex vtero nasceretur. Quorum verborum hæc est forma: Beata Virgo præomnibus alijs maiora priuilegia gratiæ accepit; sed hoc priuilegium sanctificationis in vtero, seu esse sanctificatum ante Natiuitatem, concessum fuit Ieremiæ, & Baptistæ: ergo & Beatæ Virgini. Hæc consequentia, etsi sit vera, est incongrua, quia non concludit subsumptũ aliquod sub maiori, quæ est, *maiora priuilegia*; sed concludit æquale, quod non continetur formaliter sub illa; deberet enim concludere priuilegiũ
2 maius, hac forma: Beatæ Virgini concessa sunt præomnibus alijs maiora priuilegia gratiæ; sed Ieremiæ, & Baptistæ concessum est priuilegium sanctificationis in vtero: ergo Beatæ Virgini concessum est aliud maius priuilegium gratiæ; cùm autem non sit aliud maius, respectu sanctificationis in vtero, quàm Conceptionis in gratia, in linea primæ gratiæ receptionis, hoc concluditur concessum ex illa maiori S. D. qui cùm sit formalissimus, non est credendum inconsultò committere defectum; sed nolle formalẽ consequentiam inferre, ob communem tunc temporis sententiam, satis virtualiter ostendentem propriam: ad quid enim tantus Doctor proponit illam maiorem? cùm ad conclusionem sat esset, tenereturque ex regulis logicis, propone tantùm; Beatæ Virgini priuilegia gratiæ, quæ omnibus alijs cõcessa sunt; sed Ieremiæ, & Baptistæ concessum est, vt sancti nascerentur ex vtero: ergo & Beatæ Virgini, &c. Voluit ergo S. D. principiũ tradere, ex quo necessariò inferretur, Beatam Virginẽ conceptam esse sine peccato originali, cùm hoc sine tumultu, & contenrione licere, vt licet hodiè, & tunc non decebat exteriùs, eò quòd nõ erat cõmunis sẽsus.

Nec

3 Nec valet dicere, formalem esse consequentiam illam Doctoris Sācti; eò quòd maior gratia collata fuerit Beatæ Virgini in sua sanctificatione, quàm illis duobus Sanctis, vt ipse tradit ibi art. 6. ad 1. Tum quia D.S. hoc non infert, sed tantùm esse sanctificatam, antequam ex vtero nasceretur, & nihil amplius, quod idem formaliter est cōcessum Ieremiæ, & Baptistæ, & sufficit ad indebitam consequentiam; quæ ex terminis formalibus tantùm formalis est, non ex virtualiter contentis: tum quia *priuilegium est singulare ius contra ius commune indultum*, Syluest. verb. priuilegiū ex cap. Abbad. de verb. signific. quod satis declarat D.S. citatus 3. p. q. 27. art. 1. ad 2. dum ait, *quòd legi communi Sacramentorum Deus potentiam suam non alligauit, quin aliquibus ex speciali priuilegio gratiam suam conferre posset*, sed maiori gratia sanctificari in vtero, nō est magis contra legem communem nascendi in peccato, cùm hæc dumtaxat vetet ante natiuitatem sanctificari, quemadmodum non est maius priuilegiū in aliquo, respectu legis ieiunij, comedere magis, vel minùs; sicut nec maius peccatum, quando illam frangit, quia materia eius est abstinere, quæ æqualiter frangitur maiori, vel minori comestione, dū sit sufficiens ad transgressum illius; ita legis communis natiuitatis materia est nasci in peccato, cui non magis opponitur maior gratia, quàm minor; quod aliter demonstro, supponendo,
quòd lex sit prohibitio san- 4
ctificationis; sanctificari maiori, vel minori gratia, æqualiter opponitur legi prohibenti sanctificationem indefinitè, quamuis sit maior fauor conferentis gratiam, non maius priuilegiū; quia hoc constituitur penès ordinem ad ius commune, & id est maius, quod in pluribus prohibitis valet, non quod magis de aliquo prohibito concedit. Hoc patet: quia *sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis*: ergo si priuilegium sim-

simpliciter est tale per esse contra ius commune simpliciter, erit maius per esse in plus contra ius commune, vt iure prohibetur matrimonium inter consanguineos, & affines, maius priuilegium est, posse dispensare in vtroque, quàm in altero: quarè cùm sit lex naturæ humanæ lapsæ imposita, concipi in peccato Originali & in eodem nasci, sine illo concipi, & nasci, maius est, quàm cum illo concipi, & sine illo nasci; nec aliud est maius priuilegium gratiæ in linea infusionis eius, præter communem legem, quòd maiorem arguat puritatem, vt oportet dicere pro dignitate Matris; quod vt principium sui discursus assumit D.S, quàm immunitas à peccato Originali, & sanctitas Conceptionis: ergo, &c.

5 Si enim est beneficium gratiæ Redemptio, priùs esse collatum, maius erit; nam prioritas in beneficio, prælatio est dignitatis eius: ergo in Adamo fuit collatū Virgini, cùm in persona non potuerit esse. cùm sit posterior pluribus tempore in esse; etenim præuentio iustificationis censetur maius beneficium, vt fuit Baptistæ in vtero, ita vt antecessio ad nasci sit maius beneficium, quàm post natiuitatem iustificari: ergò antecessio ad esse, vt est, esse in capite maius erit, quàm antecessio ad nasci; quia hæc est maius, quàm esse in re; huiusmodi antecessio, vt reputetur maius beneficium, debet esse non temporis, sed status, vt maius beneficium fuit collatum Baptistæ, eò quòd in vtero sanctificatus fuerit, etsi posteriori tēpore, quàm Patribus, qui post natiuitatem gratiam acceperunt, & Petro non est maius beneficium, seu priuilegium, quod statim natus baptizetur, vel post dies, seu menses, dummodò ad vsum rationis nō perueniat: antecessio enim status maius facit priuilegium; vndè sanctificari secundùm esse in Adamo erit omnibus maius, ideoq; Beatissimæ Virgini collatum, ex mente D.S.

Eodem

Eodem art. 1. quaest. 27. part 3.

§. II.

1 IN eodem art. 1. q. 27. 3. p. argumentum sed contra est huiusmodi: *Ecclesia celebrat Natiuitatem Beatae Virginis; non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto: ergo Beata Virgo in ipsa sua natiuitate fuit sancta: fuit ergo in vtero sanctificata.* Hac ratione conuincitur D. S. & conuincere intendit, Beatã Virginem Dei Genitricem sanctam nasci; sed eadem nunc est pro Conceptione: ergo conuincere debet ex mente D. S. Sanctam concipi, omnia sunt nota; nunc enim Ecclesia celebrat Cõceptionem Beatae Virginis vniuersaliter, prohibens sanctificationis nomen; non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo sancto: ergo Beata Virgo in ipsa sua Cõceptione fuit sancta. Haec est D. S. ratio, & verba eadem, mutato dumtaxàt nomine Natiuitatis, ergo si probat sanctitatem Natiuitatis, probat sanctitatem Conceptionis; cùm sit similis formae cõsequentia, & ratio eadem idem in omnibus probat.

Nec valet, quòd Ecclesia abstrahit à Sãctificatione, & Cõceptione celebrãs instãs, in quo primã suscepit gratiam, nil determinans, an sit primum Conceptionis, an aliud subsequens: Quia non inhiberet nomen sanctificationis, nec praeciperet festũ sub nomine Conceptionis; nam qui abstrahit, non includit ea, à quibus abstrahit: ergo si excludit sanctificationem, & praecipit Conceptionem; non abstahit, sed vult celebrare Conceptionem, & non sanctificationem, in qua re est maximè ponderanda denegatio sanctificationis expressa, cũ sufficeret, vt intelligeretur vetita, Cõceptionẽ celebrare, secundùm illam regulã, quã primus Arist. 5. Ethic, lect. 17. lit. B. apud D. S. tradit: *lex quod non praecipit, prohibet*; ex qua Iuris Consultus intulit 2

intulit, prohibitam esse mulieri actionē in virum adulterum, quia hæc inuenitur tantùm per legem viro cōcessa: ergo fat esse, celebrare per legem Ecclesiastici Officij Conceptionem, vt reputaretur probita sanctificatio; quo enim ordine determinare poterat Ecclesia festum Cōceptionis, præter hunc, quo determitatū est celebrari, vt ex celebratione, quæ pro natiuitate fit, pro Conceptione illationem faciamus?

5 Confirmatur: quæro, tempore D. S. quo ordine, vel modo Ecclesia celebrabat Natiuitatem, vt potuerit fieri illatio sanctitatis eius, & nunc Conceptionem nō celebrat, vt possit negari eius puritas? Etenim nulla cognoscitur solemnitas, nec modus celebrandi Natiuitatē, qui non sit per vniuersalem Ecclesiem in festo Conceptionis seruatus; nunquid illo in tempore decreuerat Ecclesia, falsum esse Natiuitatem Virginis non sanctam, vel quid simile? Si decreuisset, hoc decreto vteretur D. S. ad probandam sanctitatem Virginis in Natiuitate, quo stante, fidè tenendum erat, nec indigeret pro medio adducere celebrationem Eccle siæ; tantûm enim institutum erat festum Natiuitatis, sicut hodiè festum Conceptionis: non ergo, vt hæc firma sit ratio, oppositum determinari falsum, est opus; sequitur tamen ex celebratione, vt fecit D. S.

Præterea, quia præter æqualitatem celebrationis in Ecclesia Natiuitatis, & Cōceptionis, ex parte huius est aliqua maior determinatiō; quia oppositum Conceptionis, quod est Sanctificatio, expressè prohibetur nominari in officio; non oppositū Natiuitatis, nisi virtualiter secundùm regulam traditam: ergo nihil inuenit D. S. tunc temporis in celebratione Natiuitatis, vt ex ipsa inferret eius Sanctitatem, quod nunc temporis in Cōceptionis celebratione ad eius sanctitatem concedendam non reperiatur, & amplius. 4

Dices, quòd tunc celebra- 5

batur

batur Natiuitas, absque vlla prorsùs oppositione interiori, vel exteriori; nunc verò Conceptio, permissa opinione contraria, quarè sub dubio manet. Hoc vim rationis non infirmat, quæ de celebratione Ecclesiæ procedit, abstrahens ab assensu fidelium, quem omittens D. S. nil iuuare rationem iudicauit; vel esse aliud principium probationis, ex cuius prætermissione existimari potest, non esse tunc satis firmum, vel esse celebrationē tantæ efficacitatis, vt præciso omni alio, sanctitas Natiuitatis indubitata maneret: ergo & Conceptionis puritas: alitèr S. D. deficeret, si celebritas sine omnium assensu, infallibilis non esset ratio probandi, eum omittens.

6 Antequam per vniuersalem Ecclasiam celebraretur Natiuitas, hæc ratio non subsistebat: falsum enim erat assumptum; at postquā tractu temporis increuit assensus fidelium, & Ecclesiæ accessit institutū, ratio hæc veritatem, & efficaciam obtinuit, ita vt oppositum impium censeatur: ergò dicendum est de Conceptione simile; nam antequàm per vniuersalem Ecclesiam celebraretur, vt tempore D. S. verum non erat inferre, Sanctam esse ex vniuersali Ecclesiæ celebritate, quia non subsistebat; at postquàm cōmunis fidelium acceptio, cū institutione Ecclesiæ vniuersaliter illam celebrat, non est locus sanctitatem vertēdi in dubium: ergo D. S. huius est sententiæ, quia ex eius ratione per bonam consequentiam infertur conclusio, tradens nobis regulam, videlicèt, quòd omne quod celebrat Ecclesia, sanctum est tenendum.

7 Nec vt quidam putant, esset mutare sententiam, si adhuc viueret; affirmare Cōceptionē Sanctam, sed perseuerare in sua: quia hæc nō est de hoc, vel illo Mysterio, sed de omni, quod celebrat Ecclesia, credere scilicèt, id quod celebrat Ecclesia, esse sanctū; cum intellectus subiectione, non rationis indagine: nam seruus, qui Domi-

no fideliter obedit, iuuente ambulare,& posteà quiescere, dùm ambulat, & quiescit, non mutat sententiam; sed perseuerat in sua, quæ est obedire, esse sibi conueniens,& executioni mandandum: non enim Abraham sacrificare filium,posteà nō sacrificare, sed immolare arietem, rectum iudicans, Deo obtemperans, mutauit sententiam, sed in eadem firmus permansit obediendi Deo,& faciendi, quod ei placet,hoc statuens sibi melius; quarè illa mutatio perseuerantia est; esset mutatio, si in primo permaneret, Deo alterum iuuente: mutaretnr namquè de obedientia,qua regulabatur eius iudiciū,& actio in inobedientiam. Non aliter cēsendum est de D.S.ex communi cōsensu, & celebritate Ecclesiæ, non ex proprio intellectu aliquid decernente, vt de Natiuitate Virginis fecit, & faceret de Conceptione, regulati enim firmitas,est à regula non discedere.

Facto argumento pro Conceptione eisdem verbis, quibus nunc fit, & fecit D. S. pro Natiuitate, quid responderet ipse, quæro? Responderet, quòd proNatiuitate asseruit, aliter sibi esset contrarius,nullo motus fundamento, cùm eadem sit vtrobique ratio, quod absit.

Confirmat huius discursus rationem responsio ad 8
3.art.2.eiusdem quæst. 27. argumentum erat huiusmodi: *Non celebratur festum;nisi de aliquo sancto; sed quidam celebrant festum Conceptionis Beatæ Virginis: ergo videtur, quòd in ipsa sua Conceptione fuerit sancta*; cui respondet: *ad 3. dicendum, quòd licet Romana Ecclesia Conceptionem Beatæ Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium; vndè talis celebritas non est totaliter reprobanda, nec tamen per hoc, quòd festum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quòd in sua Conceptione fuerit sancta; sed quia quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur; celebratur festum Sanctificationis eius, potiùs, quam Conceptionis ipsius*: Sed hæc respō

sio

ſio nunc temporis non eſt vera, quia non tolerat, ſed præcipit celebrare, non aliquibus Eccleſijs, non ſanctificationem, ſed Conceptionem: ergo illam non daret, & oppoſitum teneret, vt verum doceret: nunquid eſt qui audeat dicere, ſi adhuc viueret D. S. quòd hanc ſolutionem pro ſolutione, vel pro doctrina traderet, cùm ſit manifeſtè contraria facto? Minimè: ſed hæc, ſupponatur, erat tunc temporis ſua ſententia: ergo nunc illam non haberet, non quia eam mutaret, ſed quia mutata eſt materia.

9 Ex dictis, & hac reſponſione ad 3. inſurgit difficultas aduerſùs huius argumẽti rationẽ, cùm D. S. dicat, celebrari illo in tempore, ſecundùm Eccleſiæ mentẽ Sanctificationem in die Cõceptionis, eò quòd ignoretur, quo inſtanti fuerit Beata Virgo Sanctificata: ergo tunc poſſent fieri argumenta ad probandam Conceptionem in Originali, quibus nunc probare intenditur Sanctitatem eius; nam ſi ex celebratione, & alijs ſupradictis acceptionibus communibus nunc inferre volumus Sanctitatem Conceptionis, & negationem Originalis culpæ, tunc ex celebratione Sanctificationis, & communi conſenſu inferendum erat, vt fecit D. S. Sanctificationem poſt Conceptionem in Originali; ſed ex eò quòd tunc contingebat, nil infertur nunc ad certitudinem Sanctificationis referens: ergo ex eò, quòd nunc accidit, nil pro Conceptionis puritate, abſque hæſitatione licet proferre; cũ eadem vtriuſque ſit ratio.

Reſpõdetur, quòd ex verbis D. S. habetur difficultatis ſolutio; ipſe enim ait, quòd ignoratur tempus Sanctificationis, ob idque in die Conceptionis Sanctificatio celebratur, quo non excludit primũ inſtans; quia qui ignorat tempus, nullum negat, qua proptèr nil aduerſùs infertur; quòd autem dicatur, ſanctificatio, nõ obeſt, cùm ſignificet infuſionem gratiæ, quæ in primo inſtanti potuit eſſe, quemadmo- 10

dùm in Angelis, & in Adamo, vt ipse D. S. asserit de Christo Domino, quærens de Sanctificatione eius in primo instanti suæ Conceptionis, asserens Sanctificatum fuisse, vt 3.p.q 34. art. 1. quibus infusionem gratiæ significat; non mundatione à peccato; vndè apud ipsum nil ex nomine Sanctificationis aduersùs puritatem Cõceptionis licet inferri; nos autèm posteà Sanctificationem accepimus pro peccati Originalis mundatione; ideò prohibitum nobis est in officio: quòd si D. S. declinet ad Sanctificationem à peccato Originali, post Conceptionem in illo, vt quidam volunt, ratio est sæpe repetita, quia communior erat sensus; at mihi aliter dicendum occurrit; videlicèt, quòd his verbis ma-
11 ximè fauet Cõceptionis puritati, saltèm præcisiuè, vt detur intelligi, quòd sensus Ecclesiæ non erat negare illam, nec celebrare Sanctificationem à peccato Originali, sed communiter acceptam, nil determinando de vna, vel de alia, quod maximè ostendit illud verbum, *ignoratur tempus*; vndè manifesta est disparitas rationis, quam obiectio intendebat non esse in celebratione Sanctificationis tempore D. S. & nunc Conceptionis, quam Ecclesia determinatè celebrat cum exclusione Sanctificationis nominis, cuius non tantùm celebritatẽ, sed nec nominari in officio, vel extra publicè permittit: ergo magna est differentia in cultu, nec erat vniuersalis sanctificationis assensus, sicut modò Conceptionis, quandoquidèm hanc aliquæ Ecclesiæ colebrant; modò verò sanctificationẽ nulla: falsa ergo est illatio obiectionis à paritate rationis in tanta disparitate.

Ex quo aliam infero non parum efficacẽ rationem: si enim D.S. affirmat, Ecclesiam, quia ignoratur tẽpus, non determinatè celebrare aliquod sanctificationis Beatæ Virginis, qua ratione potest intelligi ex propria sententia affirmare post animationem Sanctificatam? Esset 12

enim

enim determinare, quod Ecclesia fatetur non scire; minimè enim licet de tanta sanctitate sentire, se enim scire, quod Ecclesiam ignore, assereret.

Art. 4. in corpore eiusdem quæstionis.

§. III.

1 ARticulo 4. in corpore eiusdem quæstionis probans, Beatã & Immaculatam Virginem nullum commisisse peccatũ, hac vtitur ratione. *Quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & disponit, vt ad, quod eliguntur, inueniantur idonei, secundùm illud 2. ad Cor, 3. idoneos nos fecit ministros noui testamenti: Beata autem Virgo fuit electa diuinitùs, vt esset Mater Dei: & ideò non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddiderit, secundùm quod Angelus ad eã dicit, inuenisti gratiam apud Deum: ecce concipies, &c. Nõ autem fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando: tũ quia honor Parentum redundat in prolem, secundùm illud Prou. 17. Gloria filiorum, Patres eorum; vndè & per oppositum ignominia matris ad filium redundasset: tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem 2. ad Cor, 3. quæ conuentio Christi ad Belial? Tum etiam, quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei Sapientia, in ipsa habitauit, non solùm in anima, sed etiam in vtero. Dicitur Sap. 1. in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, & ideò simpliciter fatendum est, quòd Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale; vt sic in ea impleatur, quod dicitur Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Quæ ratio reducta ad formam, est huiusmodi: ad quod Deus aliquem elegit, idoneum facit; sed Deus elegit Beatam Virginẽ ad esse Matrem Dei: ergo illam idoneam fecit; sed si aliquãdo peccasset, non esset idonea: 2

nea : ergo nunquam peccauit. Hæc vltima minor tripliciter probatur.

Primò, quia honor Parentum redundat in prolem ex Prouer. 17. *Gloria filiorum, patres eorum* : ergo per oppositum ignominia Matris, ignominia esset Filij ; sed peccare, est ignominia peccantis ; ergo si Virgo Beata peccasset, ignominia esset Christi : ergo non esset idonea Mater, quia ignominia esset Filij.

Secundò, Beata Virgo singularem affinitatem habuit ad Christum, ita vt nulla maior inueniri posset, quia ex ea carnem assumpsit: ergo peccatum non commisit: probatur consequentia, quia si peccasset, aliqua conuentio esset Christi ad Belial, aduersùs Paul. 2. Cor. 6. *quæ conuentio Christi ad Belial?* quia peccator ea ratione, qua peccator est, est Belial seruus : ergo si Mater Christi peccasset, Belial cū Christo conueniret: ergo nō esset idonea mater, quæ cōuentionis huiusmodi esset causa.

Tertiò, quia Dei Filius, qui est Dei sapientia, habitauit in ipsa singulari modo, non solùm in anima, sed etiam in vtero; sed Sap. 1. dicitur, *in maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* : ergo nullum peccatū commisit Beata Virgo, nec mortale, nec veniale : probatur consequentia, quia aliter in maleuolam animam introisset Sapiētia, & in corpore subdito peccatis habitasset.

6 Confirmat cōclusionem ex illo Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te* : ergo nullo modo culpam commisit, aliter nō verificaretur de illa, totam pulchram esse, & maculam non habere. Hic est Doctoris Sancti discursus, sed ex toto, & præcipuè tribus probationibus minoris & confirmatione vltima, per bonam consequentiam infertur, esse Beatam, & immaculatam Virginem puram, sanctamque in Conceptione: ergo à peccato Originali ex D.S. mente immunē.

Vt

6 Vt probetur hæc minor, ſuppono concluſionem D. S. quæ eſt Eccleſiæ communis conſenſus, nimirùm Beatam Virginem nullo peccato mortali, vel veniali fuiſſe coinquinatam, quod vt probet, rationibus præiactis vtitur: ex quibus omnibus inferri licet, quòd nullum peccatum toto vitæ tempore cõmiſerit antè, vel poſt Conceptionem Chriſti Domini: nam ſi commiſiſſet, quamquàm pœnitentia cõdigna fuiſſet abſolutum, & gratiæ cumulo ornata, non eſſet idonea Mater Dei; ita vt cum idoneitate maternitatis non compatiatur eſſe, fuiſſe, vel fore peccatum, quantumuis plenitudine gratiæ deletum; hoc totum rationes probant, cùm probẽt nullum commiſiſſe peccatum, eò quòd idoneam Matrem Dei fecit eam ipſe.

7 At peccatum Originale maius eſt quàm veniale 2. 2. q. 63. art. 3. quod patet: quia ei, non veniali, correſpõdet pœna æterna damni, quæ eſt infinita; peccato autem proportionatur pœna, quia eſt opus iuſtitiæ vindicatiuæ, qua ad æqualitatem reducitur reus; verba ſunt D. S. 1. 2. q. 87. art. 6. vbi. *& hæc inueniuntur circa pœnam peccati apud Deum; per recompenſationem pœnæ reintegratur æqualitas iuſtitiæ*: ergo infinita pœna correſpondet infinitæ culpæ; pœna autem damni eſt huiuſmodi: ergo peccatum Originale habet infinitatem culpæ, qua caret veniale; ſed cum veniali præterito, etſi abſoluto plenitudine gratiæ ſubſequente, nõn compatitur idoneitas Maternitatis: ergo nec cum Originali, quia maius in eſſe peccati: maior patet ex ordine iuſtitiæ Dei punientis citra condignum, ratione iuſtitiæ vindicatiuæ, quam conſtituit D. S. 2. 2, q. 80. art. vnico, de qua ipſe ibi q. 180. per totam, eamq; aſſerit eſſe commutatiuæ partem 3. p. q. 85. art. 3. quæ omnia probant eius verba 1. 2. q. 87. art. 4. *Peccato proportionatur pœna, & quia auerſio ab infinito bono eſt infinita, correſpondit ei pœna damni, quæ eſt infinita, quia*

est amissio infiniti boni.

8 Dices, quòd etsi peccatũ Originale sit grauius, nõ ad intentum, quia est minùs vo luntarium; ideoque non im putatur personæ, vt aliquid sui, quarè D. S. tantùm loquitur de peccato actuali, id est, de peccato commisso, si committeret Beatissima Virgo, vt eius verba declarant.

Contra primò, quia Cõc. Trid. sess. 5. canon. 3. definit, esse peccatũ Originale vnicuique proprium Secundò, quia ex eò quòd sit peccatũ actuale, siuè personale, non ideò nõ esset idonea ad Maternitatẽ Dei; sed quia peccatum aoctuale opponitur idoneitati; tantùm namque excluditur aliquid per oppositum sibi ex incompatibilitate vtriusque; at magis opponitur idoneitati peccatum Originale, quàm veniale, & cùm ea simpliciter est incompatibile, quia priuat gratia; peccatum autem veniale non opponitur gratiæ, neque plenitudini eius, sed tantùm puritati, vt docet D. S. in 1. dist. 17. q. 2. art. 4. ad 3. & dist. 44. q. 1. art. 3. ad 3. ergo &c. Probatur minor idoneitas est plenitudo gratiæ, ex ipso S. D. 3. p. q. 30. art. 4. in C. dicente de Ange lo annunciante; *in qua quidẽ salutatione præmisit idoneitatem eius ad conceptũ in hoc quod dixit; gratia plena:* quod & dixerat vbi supra art. 4. q. 27. eiusdem 3. p. vt probaret, Deum eam idoneam fecisse, dum ait: *& ideò non est dubium, quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddiderit, secundùm quod Angelus ad eam dicit; inuenisti gratiam apud Deũ, ecce concipies, &c.* Sed cum peccato Originali non compatitur gratia, quia includit priuationem eius, quarè per infusionem gratiæ in Baptismo mundatur, proptereaq; maxima oppositio est eius cũ plenitudine gratiæ, quã peccatum veniale non habet, coexistunt enim: ergo si fuisse peccatum veniale, auferret idoneitatem, multò magis peccatum Originale, quod ei, quæ plenitudo est gratiæ, resistit: ergo si, vt sit idonea Mater Dei, ratio-

ne

ne idoneitatis, non potuit habere peccatum veniale, multò minùs peccatum Originale.

9 Rationes, quibus D.S. probat minorem illam, maximè iuuant, quod manifestũ erit discurrendo per ipsas.

Prima erat, ignominiam Matris esse ignominiã Filij; peccareque esse ignominiã peccantis; sed peccatum Originale est maior ignominia, quàm peccare venialiter, quia per peccare venialiter homo non cadit à dignitate filij Dei; & per Originale vilis factus est homo, & dignitate filij Dei destitutus existit seruus peccati, Rom. 6. quod, & D.S. docet 3. p. q. 46. art. 3. ad 3. loquẽs de liberatione à peccato Originali per Christum, de qua argumentum formabatur; ait enim: *ad 3. dicendum, quòd licèt Diabolus iniustè inuaserit hominem; tamen homo propter peccatum iustè erat sub seruitute Diaboli derelictus*, quod & Conc. Tri. sess. 5. canon. 1. diffiniuit: ergo ignominia est maior, peccatum Originale contra habere, quia est Diaboli esse seruum; quàm venialiter peccare: ergo si ignominia peccati venialis esset ignominia filij, ideoque idonea Mater non existeret, ignominia peccati Originalis Matris esset maior ignominia filij, consequenterque non idonea Mater.

Secunda est formata ex affinitate Virginis ad Christũ, eò quòd ex ea carnẽ assumpserit, qua proptèr si peccasset, conuentio esset Christi ad Belial, quod aduersatur Paul. 2. Cor. 6. *quæ conuentio Christi ad Belial?*

Hæc magis, quàm alia iuuat, quia conuentio Christi ad Matrem est in natura magis, quàm in persona; tũ quia in ea conueniunt; tùm quia eam accepit à Matre, quæ talis est ratione naturæ; sed peccatum Originale est peccatum naturæ, D.S. 1. p. q. 100. art 1. & 1. 2. q. 64. art. 3. & alijs pluribus in locis, vt 3. p. q. 27. art. 1. ad 4. *peccatum Originale*, ait, *trahitur ex origine inquantùm per eam communicatur humana natura, quam propriè respicit pecca-* 10

peccatum Originale: ergo si peccatum personale faceret conuentionem Christi ad Belial, maiorem fecisset Originale; affinitas enim Christi ad Virginem, quæ est consanguinitatis, non est in persona, sed in natura: ergo si natura esset infecta peccato proprio naturæ, propriùs id, in quo consistit affinitas, diceretur quid Belial, quàm si peccatum personale concederetur.

11 Hoc non minùs ostenditur ex principio originis Maternæ, per quam affinitatem contraxit, etenim hæc conflatur ex purissimo sanguine, de quo formatum fuit corpus Christi, & potentia generatiua digerēte illum, sic D.S.3.p.q.31.art.5.in C. loquens de materia, ex qua formatur proles; *hæc autem materia secundùm Phil. in lib. de gener. anim. est sanguis mulieris, non quicumque, sed perductus ad quandam ampliorē digestionē per virtutem generatiuā Matris, vt sit materia apta ad cōceptū*; & ideò ex tali materia fuit corpus Christi conceptum: ergo sanguis ille esset impurus, eò quòd fuerit aliquando sub peccato Originali, quod sufficit ad impuritatem; cū hæc sit talis per accessum ad peccatum, & cùm potentia generatiua per Originale magis, quàm alia infecta sit, & corrupta, vt docet D. S. 1.2.q.83.art.4. in C. sequitur, quòd ipsum principium originis, per quod affinitas Christi ad Virginem datur, sit per Originale magis Belial, quàm per actuale.

Tertia ex eo formabatur, quòd *Sapientiæ* Dei, quę 12
est eius Filius, *non intrat maleuolam animam, neque in corpore peccatis subdito habitat*, vt fecit in anima, & vtero Virginis.

Hæc non minùs probat; cùm simpliciter maleuola fiat anima originale contrahens, quia eius est principale subiectum, vt docet D. S.1.2.q.83.art.2. in C. corrumpens omnes eius potentias, vt ibi art. 4. in ordinationem efficiens voluntatis, ibi art. 3. quod veniale non causat: ergo magis maleuolam Originale reddit animam,

mam, quàm veniale; sed habuisse veniale, taliter, esset maleuola anima, vt idonea ad Conceptionem Christi non maneret: ergo potiori iure si Originale contraxisset.

13 Nullum aliud peccatum, præter Originale, est sub quo possit dici vterum esse, vt probat maledictio illa Gen. 3. *multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios*: tradit D. S. 2. 2. q. 164. art. 2. & notum est, cũ præcipua pœna mulieris fuerit hæc peccati Originalis, eò quòd vterus ad illud dicat principaliter inter omnes fœminæ corporis partes, ordinem: quia in quo quis peccat, debet puniri; cuius ratio non inuenitur in peccato personali: ergo ratio D. S. efficacior est pro negatione Originalis, quàm actualis, quandoquidèm, quia in corpore subdito peccatis non habitat Dei Sapientia: vult, eò quòd in vtero Virginis habitauit, vt peccatis careat: ergo efficaciùs probat carentiam Originalis, cùm hæc sit culpa ad vterum, in quo habitauit, specialiter relata: ergo illam negare oportet ex mente D. S.

Quod totum ostendit D. S. 1. 2. q. 83. art. 5. eò quòd per peccatũ Originale magis infecta, & in ordinata, quàm alia, est generatiua potentia, quæ in matrice, vbi habitauit Christus, residet; illa namquè ex hoc subiecta peccato Originali, cũ maiori proprietate, quàm alia pars corporis alteri peccato dicitur esse: ergò, si Christus non habitat in corpore subiecto peccatis, venter Virginis, in quo solùm habitauit, mundus debuit existere: ergo à peccato Originali, quod vterum afficit: qua ratione potest verificari, habitasse in corpore non subiecto peccatis, cùm habitauerit in vtero peccato Originali infecto, & maculato? Ergo ab ipso munda fuit Beata Virgo Dei Mater. 14

Confirmat hunc discursum ipse 3. p. q. 28. per totam de Virginitate Sanctissimæ Dei Genitricis peragens ar. 2. quia caro, quam 15

assumpsit, eò quòd esset *Verbum Patris incorrupta debebat esse; conueniens fuit, vt ipsa sine corruptione Matris conciperet*, ergo eadem ratione in anima; si enim integritatem carnis incorruptam omnino seruare voluit in Matre: ergo potiori ratione in anima, qui Sanctus nasci debebat; cũ plùs referat ad omnia sanctitas mentis illæsa, quàm incorrupta integritas carnis, corrupta peccato anima Matris, & persona læsa, disonãtia est, incorrupta manente materialiter carne; si enim huiusmodi incorruptio erat condecens, vt fatemur fide, cur illa non? cùm maioris sit dignitatis, & ad filij honorem conferens satis?

16 Totum hoc modo ostẽdo: ponatur Beata Virgo cũ magno cumulo gratiæ venialiter peccans; & peccato Originali infecta priuata, vt necesse est, omni gratia: quia in peccato Originali existẽs, impossibile est, quòd habeat gratiam. Quæro, qua harũ ratione, minùs idonea cẽseretur? *Illud est magis tale, quod magis accedit ad maximè tale*: ergo illud minùs tale, quod magis recedit à maximè tali; sed magis recedit esse in peccato Originali sine gratia, immò cum repugnantia ad illam in sensu composito, quàm esse in magnitudine gratiæ cum peccato veniali, à plenitudine gratiæ, quæ idoneitatẽ constituit: quia illud magis recedit ab aliquo, quod minùs conuenit cum illo, siuè participat de illo; & illud magis accedit, quod magis conuenit, vel participat: ergo cùm conueniat magis cũ illa plenitudine gratiæ, esse in gratia, & magnitudine eius cum peccato veniali; & participet magis de illa, quã esse in peccato Originali, sine gratia, cum eius priuatione, illud minùs recedit, & magis accedit, & hoc magis recedit, & minus accedit ad idoneitatẽ dignitatis Maternæ: ergo minùs idonea reputanda est, si in peccato Originali asseratur concepta, quàm si peccatũ committeret veniale; sed ex hoc, quòd sit Mater idonea, ne-

gatur a D. S. peccatum veniale commisisse: ergo & Originale contraxisse peccatum; quia in antecedenti bonæ consequentiæ negatur virtualiter consequens.

Confirmatio eiusdem D. S. est, qua nostrum manifestatur iudicium: formatur namquè ex illo Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, quod adimpletum est, dicit, ex eo quòd peccatum mortale, nec veniale Beata Virgo commisit.

18 Hac littera, non contraxisse peccatum Originale, clarescit; pro quo suppono Doctorem Sanctum litteraliter illo verbo, *amica mea*, intelligere Dominā nostrā, & per pulchritudinem puritatem gratiæ, secundùm quod à culpa recedit: quemadmodùm pulchritudo à fœditate, cum qua, etsi minima, non compatitur, non enim pulchrum est, quod non per omnia est tale, quia pulchrum, & bonum conuertuntur, D. S. 1. p. q. 5. art. 4. ad 1. bonum autem ex integra causa consurgit, & ex quocumque defectu sit malum; *eadem enim formâ*, vt ibi D. S. *dicitur aliquid pulchrū, & bonum*, quarè D. Dyonisius cap. 4. de Diuin. nom. inquit, *bonum laudatur, vt pulchrum*; ad pulchritudinē ex eodem D. S. ibi q. 39. art. 8. in C. *tria requiruntur: primò quidem integritas, siuè perfectio, quæ enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt; & debita proportio, siuè consonantia, & iterum claritas. vndè species, siuè pulchritudo appropriatur filio in Diuinis, secundùm Hylarium*, Deusq; 19 dicitur pulcher his rationibus apud Dyonisium ibi, hæc enim est differentia à Phil. assignata, inter pulchrum, & formosum: pulcher enim dicitur homo, ex debita proportione omnium partium corporis integritatem condebitam habentium, cùm quadam debiti coloris claritate D. S. 2. 2. q. 145. art. 2. in C. formosus verò facie, decorus dicitur. Vndè ex hoc Beata Virgo dicitur pulchra, quia omni defectu pulchritudinis caret, perfectaque vnde-

quaquè in integritate mentis ad Deum, cum claritate, id est, sine tenebris, vel obscuritate; per maculā, denique intelligi peccatum, secundùm quod ipse tradit 3.p.q.87.art.2.ad 3. dicens: *quòd sicut in corpore contingit*
20 *esse maculam dupliciter; vno modo per priuationem eius quod requiritur ad decorem, putà debiti coloris, aut debitæ proportionis membrorum; alio modo per superinductionem alicuius impedientis decorem, putà luti, aut pulueris: ita etiam animæ inducitur macula; vno modo per priuationem decoris gratiæ per peccatum mortale; alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale, & hoc fit per peccatum veniale.* Vndè per illam negatiuam, quæ distributiua est, æquiualet enim huic, in te non est macula, id est, nullum peccatum est in te; infert caruisse omni peccato mortali, & veniali, & pulchritudine gratiæ pollere, toto suę vitæ tempore, quia illud verbum *est* cum ampliatione ad præteritum, & futurū accipit; sed ex vtroque capite conuincitur, Originalē non contraxisse maculam: ergo hoc est asserendū esse sensum D. S. quandoquidèm nō negat, & principiū præbet huius illationis necessarium: continet enim id quod infert, & hoc ampliùs, vt si dicas: vbi sunt quatuor, sunt duo, non ideò prohibetur, inferri esse & alia duo.

21 Probatur manifestè, iuxta mentem ipsam S. D. si Beata Virgo existeret nunc in peccato Originali, de ipsa minimè verificaretur: *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*; cùm nec pulchra esset, quæ gratia careret; nec sine macula, quæ infecta existeret illa tantæ grauitatis, vt pro ipsa delenda Verbum Diuinum principaliùs carnem assumpserit 3.p.q.1.art.4. sed idem est ferendum iudicium de habuisse, quod ferretur de habere, secundùm mentem D. S. cùm hac ratione probet; non habuisse peccatum actuale, & illud verbum *est*, vult supponere pro omni differentia temporis vitæ

Beatæ

Beatæ Virginis, ita vt si in aliqua præteriti temporis peccasset, quamquàm subsequeretur plenitudo gratiæ, nec *tota pulchra*, nec *sine macula* prædicanda esset, cũ ex his verbis probet, nunquam peccasse: ergo si aliquando peccasset, non esset tota pulchra, nec sine macula, quia *ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis*, vt est canon logicus: ergo si habuit Originale, nec tota pulchra, nec sine macula est decantanda.

22. Prætereà, in quo macula Originalis existit, non est de quo potest affirmari, in quo non est macula; sed in Beata Virgine est macula Originalis: ergo de ipsa non potest affirmari, *macula non est in te*; sed affirmandum est, secundum D.S. eò quòd de ipsa ad litteram intelligitur, *macula non est in te*: ergo neganda est macula Originalis.

Dices, intelligi de macula actuali, non Originali.

Contra, quia hoc aduersatur litteræ, quæ distributiuum sensum facit ex vi dictionis *non*, quæ distributiua est, voluntariaque est restrictio, cùm in textu non sit fundamentum ad illam, potiùs ad ampliationem, & Verbum *macula* sit sine limitatione prolatum, opponaturque regulæ illi logicali, videlicèt, in materia doctrinali *Verbum indefinitè prolatum æquiualet uniuersali*, totus autem Sacer Textus est nobis doctrinalis Rom. 15. v. 4. *omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*; si enim vellet Spiritus Sanctus vno simplici Verbo nobis declarare, in Beata Virgine non fuisse Originalem, nec actualẽ maculam, quo vteretur, nisi hoc? Ergo omnem excludit; sequeretur eadem ratione, quòd cùm dicitur in sacris litteris, quòd Christus redemit nos à peccato, posset intelligi de peccato actuali tantùm, vel de Originali præcisè, quod damnandum esset, quia sub nomine peccati omne clauditur.

Hoc euidenter probatur ex logico principio *dici de nullo*, est enim, quòd nihil est 23

est sub sumere sub subiecto, de quo non negetur prædicatum: ergo nihil est subsumere sub macula, de quo non negtur esse in Virgine; sed sub macula est Originalis: ergo negatur esse in Virgine, esse inquam, secundũ quòd ampliatur ad fuisse, ex D. S, sententia hoc in loco; quis vnquàm excogitauit nomen generis, si inueniat sine restrictione scriptum, nullo fundamento è littera exorto, illud restringere ad speciem? ergo, &c.

24 De pulchritudine non minoris efficacitatis formatur argumentum: nam si ex quolibet defectu pulchritudo fœdatur, ex Originali corrupta maneret, quod ex tribus cõstituẽtibus illam, perspicuum fiet.

Primum ait D.S. *Esse integritatem, siuè perfectionem, quæ enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt*, sed cũ peccato Originali non est integritas naturæ, dicente eodẽ D.S. 1.2.q.109. art.2. in C. *natura hominis potest dupliciter considerari, vno modo in sui integritate, sicut fuit in primo Parente, ante peccatum, alio modo secundùm quòd est corrupta in nobis, post peccatum primi Parentis*, idem docet ibidem q.82, asserens art.1. esse ægritudinem animæ, quod & docuit loco proximè citato, ex quo, & ex ratione peccati, esse imperfectionem, & maximum defectum, vti auersionem à Deo, affirmare oportet: ergo si pulchritudo est integritas, & perfectio, non benè cohæret cum peccato Originali: nam integritas, & perfectio talis naturæ est, vt de perdita nunquam restituatur in statum pristinũ; nunquam enim manet integrum, id quod fractum fuit, etsi solidetur, nec perfectũ, si imperfectum extitit: quia aliqua imperfectio est, defectum habuisse: ergo, &c.

Deindè, quia ipse 1. 2. q. 82. art. 1, C. & ad 1. & 2. docet, peccatum Originale esse habitum corruptum naturæ, peccatum verò actuale esse actum in ordinatum, vt ibi habetur; sed integritas pulchritudinis est aliquid habitus, quia pulchritudo 25

tudo habitus est, cùm sit debita dispositio partium difficilè mobilis à subiecto: ergo magis opponitur integritati pulchritudinis Originale, quàm actuale peccatum, quia habitus opponitur habitui immediatè, non actus.

26 Secundum est *proportio debita partium*, quam pulchritudo importat, sed hāc destruit formaliter peccatū Originale, quo omnes partes animæ inordinatæ manent, ideò improportionatæ inter se, ait enim ipse D. S. ibi 1.2. q.85. art.3. *Respondeò dicendum, quòd per iustitiam Originalem perfectè ratio continebat inferiores animæ vires, & ipsa ratio à Deo perficiebatur ei subiecta, hæc autem Originalis iustitia subtracta est per peccatum primi Parentis, & ideò omnes vires animæ remanent quodammodò destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, & ipsa destitutio dicitur naturæ*; & prosequitur, ostendens in ordinationem principalium naturæ partium, quod & art.5. tradit, cùm asserit, *quòd per peccatum primi Parentis vulnerata est natura, quantùm ad animam per deordinationem potentiarum*, quod nō fit per actuale peccatum, quia est proprius effectus Originalis: ergo pulchritudinem destruit quoad proportionem debitam partium formaliùs, quàm actuale, cū actuale actus de ordinationē efficiat propriè, non in proportionem partium naturæ secundùm animam, quæ subiectum est pulchritudinis gratiæ: improportio autem deordinatio est, cùm proportio sit ordinatio accommoda: ergo pulchritudo, si, cùm habuisse peccatū actuale, quoad proportionem debitam partium, non compatitur, & si non sit causa proportionis partiū, sed actus, maiori ratione asserendum est de Originali, quòd facit illam.

Tertium est *claritas*, hæc est puritas splendoris, puritas namquè dicitur alicuius per recessum à contrario, vt ex D. S. supradictum est in 1. dist. 17. q.2. art.3. hac de causa Deus dicitur actu- 27

pu-

purus, per recessum ab omni potentialitate, vt pluribus rationibus probat idem 1. p. q. 3. per totam, vndè claritas est talis per recessum ab obscuritate, itaque erit splendor, siuè nitor omni carēs nebula; ideò gloriam esse dicimus *claram cum laude notitiam*, ex D. Ambros. apud D. S. 1. 2. q. 2. art. 3. quia splendor gloriæ omnē excludit nebulam, quæ macula claritatis nominatur, secundùm illud Ecclesiast. *dedisti maculā in gloria tua*, quod omne habetur ex ipso D. S. ibi 1. 2. q. 86. art. 1. in C. & ad 3. & art. 2. in C. ait enim, *macula est quidam defectus nitoris, propter recessum à lumine rationis, vel diuinæ legis*, macula, inquā, peccati, de qua ibi agit: qua ratione ex quolibet peccato actuali inferret, Beatam Virginem non esse pulchram, claritatem enim non haberet, quia macula illi opponitur per defectum nitoris ex recessu à lumine; sed peccatum Originale maculam importat magis, vt satis ostensum est in principio huius rationis, sufficeretque esse quomodolibet maculam, vt cum claritate simul non cohæreret: ergo & ex hac parte asserere licet, quòd habuisse Originale, auferret esse pulchram, quia claritatem expelleret, quæ petit puritatem nitoris.

Est nimis ponderanda illa dictio *tota*, ait enim: *tota pulchra es amica mea*, cùm enim pulchrum sit tale secūdùm se totum, & secūdùm omnes partes, componitur enim ex illis debitè proportionatis in se adinuicem, & respectu totius; videtur superflua, quarè sat esset dicere *pulchra*, vt intelligeretur secundùm omnes partes talis; sed non est superflua, cū sit Spiritus Sancti Verbum, nec potest sumi cathegorematicè, hoc est, secundùm quòd significat aliquod totum, tùm ratione dicta, tùm quia in hac acceptione sumitur communiter substantiuè: ergo syncathegorematicè accipienda est, nō prout potest applicari ad corpus, & partes eius, quia supra ipsas nō appellat, cùm sit quid 28

ma-

materiale, & quia in ratione pulchri, vt dictũ eſt, ſunt diſtributiuè comprehenſæ, ergo ſupra ly *pulchra* formaliter, quia ſupra illam appellat propriè, quia *appellatio, eſt applicatio ſignificati formalis vnius termini ſupra ſignificatum formale alterius*, at *tota* ſyncathegorematicè æquiualet totaliter, eſt namquè eadem acceptio, cùm ſit diſtributiua dictio: ergo totaliter pulchra, ſecundùm formalitatẽ pulchritudinis, & cùm pulchritudo ſit in eodem numero ſubiecto eadem numero, conſequenterque immultiplicabilis, incapax eſt diſtributionis, ideò dumtaxàt appellare poteſt ad pulchritudinis modos, cùm diuerſimodè poſſit quælibet pulchritudo exiſtere: ergo eſt dicere omnibus modis, pulchra es amica mea, ſed quæ peccatum contraxiſſet Originale, nõ eſſet omnibus modis pulchra, ſiquidem careret hoc modo pulchritudinis, qui eſt, nõ habuiſſe hanc maculam, qui poſſibilis eſt, *ad falſificandam autem vniuerſalem ſufficit vna particularis*: ergo, vt non eſſet omnibus modis pulchra, ſufficeret contraxiſſe peccatum Originale, quarè non verificaretur de Beata Virgine, *tota pulchra es amica mea*, vt D.S. vult.

Falſificaretur de Beata Virgine ſimiliter *amica mea*, 29 quod ſic probo: illud verbũ *es* ſupponit pro omni differentia temporis à primo inſtanti Conceptionis Virginis, & per æternitatem à parte poſt, quia in tota verificatur, vel ſaltèm vſquè ad mortem, ſi ſumatur pro tẽpore vitæ, quod neceſſe eſt dicere; aliter non probaret D. S. ex hoc loco, nullum commiſiſſe peccatum: ergo totum tempus claudit vitæ, ergo & primũ inſtans, cùm ſit intrinſecus terminus temporis, & initiatiuum illius, ſupponit namquè illud verbum *es* pro quolibet inſtanti vitæ, aliàs ſi daretur, quòd in aliquo peccaſſet, non probaret oppoſitum, quod intẽdit D.S. Cùm autem nulla ratio ſit ad excludendum primum inſtans, cùm in illo

 veri-

verificetur *es*, sicut in quolibet alio, & omnis logicalis proprietas obstet, daretur namquè in alijs propositionibus fidei ad similem exclusionem ansa, quod maximum est inconueniēs; sed dictio *amica mea* secundùm suppositionis regulam, oportet, quòd verificetur, vt vera sit propositio: pro omni instanti, quod importat verbum substantiuum *est*; at amica Dei formaliter constituitur per charitatem, quæ sola est Dei amicitia ex D. S. 2. 2. q. 23. art. 1. ergo ex vi huius litteræ dicendum est, in primo instanti sui esse Beatam Virginem habuisse charitatem, charitas autem non est sine gratia: ergo, &c.

30 Nec contemnēda est pro hac re quæ ex eisdem verbis fit consideratio: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*; etenim licet *tota pulchra* priùs proferatur, secundùm formam propositionis est prædicatum, *& amica mea* subiectum, quia supponit pro persona, cui Spiritus loquitur, de qua affirmatur totam pulchram esse, & supponitur amica per antonomasiam, ita vt ex vi dicendi intelligatur persona, de qua loquitur, pronuntiato *amica mea*: ergo in ratione amicæ non potuit habere defectum; sed aliquis est, fuisse inimicam, qualis esset si in peccato Originali extitisset: ergo, &c. per antonomasiam namquè aliquid tale nominatū à Deo, cum defectu, quo potuit carere, inueniri, indecēs est cogitare: quis enim vocabit per antonomasiam amicū, qui inimicus fuit aliquando, ita vt pro tali acciperetur ab omnibus dumtaxàt dicens, amicus meus? Hoc confirmat, quod vocatio Dei est factio, & vocare facere: ergo si vocat amicam meam antonomaticè: ergo fecit illam taliter amicam, vt omni defectu amicitiæ careret, cū antequam eam faceret, amicam absolutè, & ideò simpliciter, & sine limitatione, quam haberet cum defectu amicitiæ, si esset, vocauerit: ergo nullus ei infuit, sed de hac, *amica* scilicèt, affirmatur, totam

totam pulchram esse: ergo in esse amicam, totam pulchritudinem habuit: ergo nil pulchritudinis defuit, iustificationis, & gratiæ, qua amica constituitur: ergo & omnis pulchritudo illi est concessa, quia tota pulchritudo, & omnis conuertuntur, cùm sit tota distributiua dictio, in hoc modo dicendi, vt manifestum feci; at omnis pulchritudo gratiæ non stat cum macula Originali, quia nulla potest esse maior pulchritudo, quàm omnis, cùm vniuersalis comprehendat illam, & reliquas; at si aliquis esset in gratia conceptus, haberet specialem pulchritudinem gratiæ, quia cùm pulchritudo excludat maculam, excludens Originalem, specialis esset pulchritudo, & maior quam illam non excludens: ergo hæc comprehenditur in vniuersali, *omnis pulchritudo*: ergo cui concessa est omnis pulchritudo gratiæ, hæc est collata.

Art. 5. eiusdem quæst.

§. IIII.

ART. 5. eiusdem quæstionis ipse Doct. S. quærens, *Vtrum Beata Virgo per sanctificationem adepta fuerit plenitudinem omnium gratiarum?* Respondet: *dicendum, quòd quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principij; Christus autem est principium gratiæ, secundùm Diuinitatem quidem auctoritatiuè, secundùm humanitatem verò instrumentaliter; Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundùm humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam, & ideò præ cæteris debuit à Christo gratiæ plenitudinem obtinere.* 1

Et ad primum: *quòd Beata Virgo Maria tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, vt esset propinquissima auctori gratiæ.*

Quam rationem, etsi deducat

ducat ex D. Dyonisio cap. 4. Cœlest. Hyerarc. fundatur in illo communi principio, *illud est magis tale, quod magis accedit ad maximè tale*, quod tradit Philosophus in prædic. cap. de subst. disposita autem in forma est huiusmodi.

2 Quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principij; sed Virgo Maria propinquissima est principio in genere gratiæ: ergo maximam participat gratiam. Probatur minor, Beata Virgo Maria propinquissima est Christo Domino: ergo propinquissima est principio in genere gratiæ. Probatur antecedens, quia Christus Dominus ex ea accepit naturam humanam, qua factus est Deus homo: consequentia est nota, quia Christus secundùm Diuinitatem est principium principale gratiæ, & secundùm humanitatem, instrumentale.

3 Hanc rationem firmat sequens, quæ est eiusdem D. S. ibi q. 35. art. 4. probans Beatam Virginem esse Matrem Dei: *Concipi, & nasci personæ attribuitur, & hypostasi secundùm naturam illam, in qua concipitur, & nascitur: cùm igitur in ipso principio Conceptionis fuerit humana natura assumpta à Diuina Persona, consequens est, quòd verè possit dici Deum esse conceptum, & natum de Virgine; ex hoc autem dicitur aliqua mulier alicuius Mater, quòd eum concepit, & genuit*: ergo nulla creatura potest esse propinquior: ergo propinquissima est omniũ propinquitate tali, vt distinctione personali interiecta, nulla possit inter possibiles, respectu creaturarum intelligi maior, qua ratione vocat eam D.S. propinquissimam Deo in responsione ad primum citata: notum enim est, nullam esse possibilem propinquintatem maiorẽ, quàm inter filium, & patrẽ, siuè matrem, quod manifestatur in Diuinis inter Patrem, & Filium, cuius participatio est, quod huius rationis inuenitur in creatis, secun-

ſecundùm illud Pauli Eph. 3. v. 15. *huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur*, perſpicuumque eſt: quia quicquid
4 in creaturis inuenitur, ſecũdùm aliquam rationem repertam in Diuinis, huius eſt participatio, illud. Cùm autẽ gigni, & naſci conueniat perſonæ, vt ex verbis relatis viſum eſt, & perſona ſit Deus; propinquitate ad Deũ, qua maior non poteſt eſſe, fatendum eſt, Beatam Virginem eſſe propinquam, ſed ad menſuram propinquitatis ad Deum D. S. docet Beatam Virginem conſecutam fuiſſe plenitudinem gratiæ: ergo eam, qua maior nõ poteſt eſſe; ſed ſi peccato Originali eſſet concepta, maior potuiſſet eſſe, quàm habuit, quia maior eſſet, quæ à peccato Originali faceret mũdam in Conceptione, cùm hoc ad maioritatem plenitudinis gratiæ ſpectet, quia fit maior per extenſionem ad expulſionem peccati ſecundùm genus, vt docet idẽ D. S. ibi 3. p. q. 27. art. 6. ad 1. *dicendum, quòd Beata Virgo ampliorem ſanctificationis gratiam obtinuit, quàm Ioannes Baptiſta, & Ieremias: cuius ſignum eſt quòd Beatæ Virgini præſtitum eſt vt de cætero non peccaret, nec mortaliter, nec venialiter, alijs autem ſanctificatis creditur præſtitum eſſe, vt de cætero mortaliter nõ peccarent, Diuina eos gratia protegente:* ergo maioris plenitudinis gratiæ ſignum eſt à pluribus diuerſis ratione peccatis liberum eſſe ſubiectum, quandoquidem ſecundùm D. S. maioris ple- 5
nitudinis ſignum eſt liberari à mortali, & veniali, vt in Beata Virgine, quàm à mortali tantùm, vt in Ioanne, & Ieremia: ergo maioris eſſet ſignum, liberari ab Originali, mortali, & veniali: ergo ſi in peccato Originali eſſet concepta, deficeret ſignum maioris plenitudinis gratiæ, & conſequenter ipſa maior plenitudo, quia D. S. à ſigno probat ſignatum, ideoque à negatione ſigni ad negationem ſignati eſt bona conſequentia, vt eſt communis

regu-

regula logicalis: ergo si non esset libera à peccato Originali, non haberet maiorē plenitudinem gratiæ, quàm habere potuit, & consequenter nec propinquior esset propinquitate, qua nullam maiorem creaturæ ad Deū excogitare valet mens nostra, qualis est Matris ad Filium, deficeretque aliquis effectus gratiæ, quod est inconueniens, cùm inueniatur minor, & maior: minor in Ioanne: maior in Christo: & non manifesta esset virtus gratiæ adæquatè, cùm Deus dederit intellectualibus creaturis illum, vti supremum donum gratiæ, vt præstaret omnia.

6 Inter generans, & genitū ordo naturæ exposcit, vt sit vniuocatio, secundùm omnem possibilem rationem, maximè inter matrem, & filium, quæ strictissimè est talis: ab hac enim ad Diuinam desumitur ratio, vt docet D.S. 1.p.q.27.art.2. sed Beata Virgo verè est Genitrix Dei, vt fides docet, can. 1. Efesin. Syn. qui apud D.S. habetur 3.p. q. 35. art. 4. in arg. sed contra, estque huiusmodi: *si quis non confitetur, Deum esse secundùm veritatem Emmanuel, & propter hoc Dei Genitricem Sanctam Virginem* (*genuit enim carnaliter carnem factum Dei Verbū*) *anathema sit*, quod traditum fuit à D. Cyrillo epist. 4. to. 4. hoc docuit ibi D. S. rationibus efficacissimis illud probans, inferens, *vndè consequens est, quòd Beata Virgo verè dicatur Mater Dei*, cōcludens ex sacris litteris articulum his verbis, *vndè ille qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, est verè natus ex Beata Virgine, sicut ex sua Matre*: ergo secundùm omnem rationē possibilem vniuocatio est ponenda inter Beatam Virginem, & Deum, cuius est genitrix, quarè Christum Dominum ei consubstantialem fatemur, vt venerabilis Bed. lib. 4. cap. 49. in Luc. 11. contra Euthichen ex illo Pauli *factum ex muliere, factum sub lege*, tradit.

7 Nec valet dicere, quòd vniuocatio est in natura humana, secundùm quam genuit

nuit Deum, non impersona, quæ Diuina est, in quam influere non valet.

Hoc nullatenùs eneruat rationis vim, quia nec mater Petri influit in personā, cùm hæc sit animæ rationalis subsistentia spiritualis per creationem à Deo facta, vndè eò quòd Beata Virgo non influat in Personam Verbi, nō sequitur aduersùs rationem aliquid: nō enim est opus, quòd mater, vel pater influant in personam filij; necesse tamen est seruato ordine naturæ, quē in suis operibus seruat, & perficit omnipotens, quòd mater, & filius sint in eodē ordine vniuocè, quoad posse, saltē negatiuè, hoc est, quòd nil aliud, quod nō sit idē realiter cum filio possit inueniri similius in illo ordine: patet in omnibus filijs, respectu suorum parentū, & in Diuinis est notius. Cū
8 enim filiatio sit quid personale, vt docet D.S. 1.p.q.33. art.3. & q.34. art.2. & 3.p.q. 23. art.4. vbi probat, Christum, in quantum hominē esse Filium Dei naturalem, eò quòd Persona sit talis, quia est intranea, & genita à Patre: nam quòd generatur est filius, & à Theologis explicatur hæc ratio per intraneitatem Personæ, ita vt ad filiationem naturalem requiratur, quòd Persona sit intranea, id est, eiusdem rationis intra cum principio, à quo generatur, in quo distinguitur à filiatione adoptiua, quæ est personæ extraneæ: ergo vt seruetur ordo naturæ, necesse est, quòd non sit possibilis inter personam humanam, & Diuinam maior similitudo, & conuenientia ordinis, quàm inter Beatam Virginem, & Deum, vt possit Persona Diuina dici, & esse intranea, saltem negatiuè, id est, non posse esse magis intraneam, vt sit verè Mater Dei, quia talis rationis est mater, vt vniuocè dicatur Mater cū reliquis matribus, tunc autē seruatus est ordo naturæ, quando magis appropinquatur, quoad posse ad illū, ita vt impossibilis sit maior accessus; sed Beata Virgo constituitur in ordine diui-

no per gratiam, & magis vnitur Deo per maiorem,
9 & recedit ab illo per peccatum: ergo debet esse gratia prædita taliter, vt maior ne queat inueniri, cùm per gratiam fiat particeps Diuinæ naturæ 1.2. q.110. art.3. in C. & persona eleuetur ad ordinem Diuinum, & tantùm recedere à peccato, vt maior recessus non sit possibilis, quia nil magis extraneum Deo, quàm peccatũ, & consequenter persona illo infecta: ergo Mater naturalis non esset, si peccatum contraxisset, ordine naturæ proportione seruato.

Hîc est aduertendum, ma
10 gis conducure ad naturalẽ filiationem intraneitas Personæ genitæ, quàm vniuocatio naturæ, iuxta D.S. mẽtem, quia Christus in quantùm homo, est Filius Dei naturalis, etsi dicat naturam extraneam Deo, quę est humana, eò precisè quòd persona sit intranea à Patre genita eiusdem ordinis, & rationis ab ipso nata: ergo proportione quoad posse facta, debet idem seruari in Beata Virgine, quæ Deum genuit, & ab ipsa est natus, vt à vera, & realiter Matre: quarè in eodem ordine, & ratione, ita vt maior identitas non sit possibilis, debet constitui: quis enim cogitare potest, quòd possibile sit aliquid coniunctius, similiusque, quàm mater Petri ipsi Petro, quæ eiusdem rationis in ratione matris est cũ Beata Virgine? Ergo, &c.

Confirmat hanc rationẽ ad intentum, quòd nihil ma 11
gis recedit, siuè distat ab esse, & natura Dei, quàm peccatum: quarè ab ipso magis distare debet, quod magis accedit ad Deum; at Mater Dei inter possibilia creata magis accedit ad Deũ: ergo magis inter possibilia recedit à peccato: ergo à peccato Originali, quod Deo priuat, munda fuit, quandoquidèm à Deo electa, & præparata, & in Matrem prædestinata, *antequàm mundus fieret*, fuit in decreto ab æterno: ergo ea ratione, & ordine in esse supernaturali idæaliter constituta, quàm ipsa ratio Maternitatis Dei exconna-

connaturali debito petebat, cùm ipse ordinem debitum naturæ in omnibus suis operibus seruet.

12 Hoc idem nobis patefacit, quòd maternitatis, & paternitatis idem est fundamentum, vt notum est, respectu eiusdem filij, sed Pater æternus est Pater, & Beata Virgo Mater eiusdem Filij: ergo intra id quod possibilitas patitur, idem est fundamentum in quo vtriusq: hoc autem est potentia generatiua, quæ est natura, vt docet S. D. 1. p. q. 41. art. 5. ergo oportet, quòd Beata Virgo tantùm participet de

13 natura Diuina, vt magis participare non possit, vt idem fundamentum quoad posse sit Maternitatis in ipsa & Paternitatis in Patre, eleuata eius natura ad Diuinam omni possibili modo per gratiam, meritoque ex hoc cōsiderandum venit, voluisse Filium suum habuisse sine Patre in terris Matrem, vt eam, in quantùm possibilitas patitur, æquaret, associaretque sibi, Virgoque permanens semper, sine commixtione, & generaret, & pareret, incorrupta, integraque consistente carne, vt sibi eam assimilaret generanti. Qua igitur ratione, qui in carne hanc incorruptionis, & integritatis similitudinē condignè facere decreuit; in anima, quæ eius existit imago, corruptionem eligeret, coæquans, & associans sibi in Matrem Filij, cuius ipse est Pater? Non est, cùr opinetur, consequenterque, cū nil sit dissimilius Deo, quàm peccatum, & Originale auertat simpliciter ab ipso, necesse est dicere ex vtroque capite, hoc est, maxima plenitudine gratiæ, quam Maternitas exposcit, & ex priuatione illius, quam Originale includit, non contraxisse illud.

Non minùs hanc veritatem ostendit dignitas Maternitatis Dei: nil enim possumus intelligere, nec nostro intellectui repræsentatur possibile sublimius, dignius que inter possibilia, atquè similius, & proximius dignitati Paternitatis Diuinæ, vt manifestum facit Ma- 14

ternitas, & Paternitas respectu eiusdem filij in creatis; dignitas autem *celsitudo graduum quæ in superioritate siuè sublimitate consistit*, diffinitur ex mente D. S. 2. 2. q. 183. art. 3. Vndè dignitas Paterna Diuina est summa, & infinita altitudo in infinitum ab omni factibili distans, quarè ad comparationem dignitatis Maternæ, cũ sit facta, obstupescit mens nostra, cuius immensitate occupata contremiscens discurrere non audet, sed cum Apostolo Rom. 18. v. 33. in admirationem, vel melius quasi in extasym rapta clamat: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Videtur, quòd Apostolus in huius arcani cõtemplationem raptus hæc verba protulerit: non enim potest capi, qualiter creatura genuerit creatorem; & ad dignitatem Matris Dei euecta fuerit, cùm Mater constituatur talis actu per causalitatis influxũ: verè miraculum Omnipotentiæ vocandum: nam sicut miraculum naturæ est id, quod præter metas illius efficitur; illud Omnipotentiæ erit, scilicet dicere, quòd eius sphæram transgreditur, sphæram namquè Omnipotentiæ, non tangit Deum ad ens creatum circunscribitur; sola essentia Patris, quæ in ipso potentiæ generatiuæ munere fungitur, sic docet D. S. vbi supra, generaret Deum valet, causalitate minimè, nil enim magis repugnat genito, sed origine fœcunditatis; cùm autem Beatam Virginem fide fatear verè, & realiter genuisse Deum, Matremq; vniuocè cũ cæteris esse credam, quæ in generando causalitatem exercent, præsuppositiuè ad conficiendum sanguinem, ex quo fit fœtus effectiuè, ad concipi verò ministerialiter, vt vult D. S. 3. p. q. 32. art. 4. alijs efficientiam concedentibus, in fouendo verò, augendo, & nascendo, in quo secundùm D. S. fundatur Maternitatis rela-

relatio, supra citatis locis 3. p. actiuè, siuè efficienter, nulla aduersante sententia, etsi indemnitatē, vt sic dicam, impossibilem dependentiā diuinitatis agnoscam, absolutissimum ab omni, quod non est ipse, Deum, nihilq; in se accipere posse, cuncta liberaliter omnibus dare, ab ipso vniuersa fieri, per
27 ipsum conseruari, in ipso contineri, firmiter teneam, ab illatione stupore compescor; cum Paulo (fortè ipse tenebatur eodem) ibidem prosequor, dicens: *quis prior dedit illi* (Deo scilicèt) *& retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula, Amen.* Non enim videtur decens ad altitudinē supremam inter possibiles sublimandam erigere, quā in profundū miseriæ, quod est Originale, relinquere decreuerat: contradicit enim ordini rationis, quem Deus inuiolabiliter seruat, repugnat tantæ plenitudini gratiæ, & Matris fœdat dignitatem; cuius honor Filij est gloria; honori enim peccatum obest, qui est *virtutis præmium*, & maximum *excellentiæ sanctitatis testimonium*, D. S. 2. 2. q. 129. art. 4. sicut peccati dedecus.

Ex quibus dictis videtur, posse inferri, Beatissimam Virginem, Dei Genitricem Mariam, tanta gratiæ plenitudine fuisse refertam, vt maior intra obiectum omnipotentiæ puræ creaturæ communicabilis non contineatur, de quo infra habebo sermonem, non enim dubia miscenda sunt certis.

3. *p. quæst.* 27. *art.* 2.

§. V.

Tertia part. q. 27. art. 2. D. S. format secūdum argumentum ex authoritate S. Anselmi lib. de Concept. Virg. cap. 18. parum à principio, dicentis: *conueniens fuit, vt illa Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi, vndè & Cant. 4. dicitur, tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

In primo dist. 43. art. 1. eandem auctoritatem sibi opponens, his verbis repetit, secundùm Ansel. *decuit, vt Virgo, quam Deus vnigenito Filio suo præparauit in Matrem, ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi.*

Cui ibi respondet, *ad 3.*
2 *dicendum, quòd puritas intenditur per recessum à contrario, & ideò potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit: & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ peccato Originali, & actuali immunis fuit*: idem respondet eidē auctoritati ibi. dist. 17. q. 2. art. 4. ad 3. dicens: *quia in Beata Virgine fuit depuratio ab omni peccato. ideò peruenit ad summum puritatis*, quod necesse est dicendum, quia propinquissima est ad infinitè purum, vt satis ostensum est supra, *& illud est magis tale, quod magis accedit ad maximè tale*, Deo autem essentialiter repugnat potentia deficiendi, quam, quia pura creatura, habet Beata Virgo, in quo constituit inferioritatē Virginis ad Deum, & Christū in puritate, quia Deo per essentiam, Christo per vnionē hypostaticam repugnat posse deficere; Virgini autē per gratiæ habitualis excellentiam, vndè puram omninò confitemur actu, non potentia.

Tertia verò parte auctoritati Anselmi respondet: 3
dicendum, quòd si nunquàm anima Beatæ Virginis fuisset contagio Originalis peccati coinquinata, hoc derogaret dignitati Christi secundùm quā est vniuersalis omnium saluator, & quanquàm dicat alia, quia posteà de ipsis est agēdum, ea nunc omitto.

Dices, vniuersis pro puritate Conceptionis hucusq; factis rationibus, totū quod probant, esse verum ex condebito rei, nimirùm Matris Dei; sed derogat dignitati Christi Saluatoris omnium, quod & D. S. docuit in corpore illius art. 2. hoc enim maius inconueniens est, quā quòd eius Mater sit in Originali concepta: exemplum nobis præstat natura in ascē

su

su aquæ, cui ex proprijs principijs debetur, non ascendere, sed descendere, & sub aëre existere, & ne detur vacuum, quia hoc maius incōueniens est, quàm quòd aqua careat, quod propria petit natura, & oppositum habeat, ascendit.

4 Contra primò, quia dignitas Sanctitatis Matris pertinet ad dignitatem, & honorem Filij secundùm esse, vt supra ostensum est auctoritatibus D.S. & rationibus, etenim omnes probant puritatem Matris ex dignitate Filij, secundùm id quod est ipse, id est, quia est Deus natus ex Virgine: ergo si habent veritatem, & conuincunt, maius incōueniens est, habuisse peccatū Originale, quàm nō esse redemptam, quia derogaret dignitati Dei nati à Virgine, quæ est maior, quàm dignitas Redemptoris, cùm hæc sit quasi officij, siuè instituti; illa verò proprij esse, quod supra omnia est benedictum, cùm autem minùs inconueniens cedat maiori, vt manifestat ascensus aquæ, sinè peccato Originali conceptam esse, est asserendum: quia ex hac ratione necessariò sequitur, dispēsatam fuisse à lege peccati, nàm D.S. docet 1.2.q.97.art.4 in C. *dispensatio est applicatio alicuius communis ad singula; vndè lex, quæ omnibus imponitur, applicando illam ad aliquam personam, vel casum, sequitur inconueniens, vel impeditur aliquod melius: fit vt non obligetur illi, quod est dispensari;* non autem ideò est extra legem: quandò autem extra legem est persona, vel casus, non est dispensatio, quia non est materia legis, vt accipere alienum, volente Domino, non esse peccatum, non est dispensatio legis furti, vt docet D. S. ibi q.100.art.8. de expoliatione Ægypti ab Hæbræis, iuuēte Deo, qui Dominus est omnium, & homines, non nisi per ipsum, dùm, & quomodò vult. Vndè differentia inter Filium, & Matrem est, quòd Mater fuit dispensata, quia lege comprehendebatur; Filius autem non, quia extra legem, cùm non

ex semine viri esset conce-
ptus.

5 Nec quandò vna perso-
na ex aliquo priuilegio non
est comprehensa sub com-
muni lege, non ideò dicitur,
legem non comprehende-
re omnes: quia dispensatio
vnius non aufert vniuersali-
tatem legis, nec iurisdictio-
nis, vt magis assimiletur exē-
plum casui. Gubernator ali-
cuius ciuitatis habet iurisdi-
ctionem in omnes ciues, eò
quòd sit ciuitatis vniuersa-
liter iudex; si autem aliquo
priuilegio aliquis eximere-
tur, non propterea Guber-
nator non esset totius ciui-
tatis, & omnium eius ci-
uium Rector, quia priuile-
gium, vel dispensatio vnius
non obest vniuersalitati, cō-
prehendit etiam; si in toto
rigore volumus loqui, ip-
sum dispensatum, secundū
illam rationem communē,
qua complectuntur omnes,
quamuis secundùm parti-
cularem sit extra: parum
præterea esset indignitatis,
immò non parum dignita-
tis afferret Saluatori, si ex
eò quòd non esset Saluator
Matris, Filius nobilissimæ
omnium possibilium existe- 6
ret: quis oppositum eligeret;
esse Filium ancillæ, vt Ma-
trē à seruitute liberaret? di-
cente Domino Gen. 21 *eij-
ce ancillam hanc, & Filium
eius, non enim erit hæres filius
ancillæ cū filio meo Isaac*, ver
ba sunt Saræ confirmata ibi
à Deo, audiatur Apostol.
Galat. 4. v. 30. *eijce ancillam,
& filium eius, non enim hæ-
res erit filius ancillæ cum fi-
lio liberæ*: ergo esse filium
ancillæ, dedecus est filij,
quandoquidem ab hæredi-
tate eijcitur: quid si ancilla
fuisset peccati? Qua ratione
qui hanc legem promulga-
uit Deus, quem hæredem
vniuersorum constituit fi-
lium ancillæ, electione fa-
ceret? Sibi namquè esset cō
trarius, in eadem legis im-
positione, cùm quod ibi de
Isaac dixit, de Christo Do-
mino intellexit, cuius typus
erat ille; *in Isaac benedicetur
tibi semen, & in semine tuo
omnes gentes*: ergo cùm illa
verba de Isaac dicuntur, de
Christo Domino intelligi
oportet, quia de Isaac, vt

in

in signo verificantur de illo qui est signatum: ergo filius liberæ, non ancillæ, qui omnium est hæres, Christus est asserendus: ergo Mater absquè peccato Originali concepta; aliter ancilla extitisset non libera: partus enim sequitur ventrem, quoad
7 conditionem personæ, secundùm ordinem rationis, quem sequitur lex ciuilis, & ex vetere satis colligitur: etenim status seruitutis, non tantum esse, sed fuisse, nobilitati opponitur, quam destruit apud omnes, vt satis est compertum: minimum enim, quod deficere potuit Redemptioni, quandò efficacia carerent rationes factæ, est vna persona non redempta, & magnum honoris, nobilitatis, & dignitatis, Matrem fuisse ancillam peccati, inter seruitutes miserrima, cùm peccatum, sit summitas miseriæ, & Dominus existeret Matris, si enim Matrem fuisse ancillã Regis, ignominia est cuilibet filio, obicem apponens, ad consequendos honores, dignitatesque, vilis namquè reputatur, & inter ciues non numerandus, teste Philosopho, quid peccati faceret? quod primis parentibus fecit.

Hoc Diua Virgo ostendit Angelo respondens Luc. 1. *ecce ancilla Domini*, non peccati, nàm quæ peccati fuisset, Domini ancilla simpliciter non esset, seu per antonomasiam dicta, nec demõstratiuè signata per aduerbium *ecce*, quod solitudinẽ importare solet. q. d. quæ sola Domini est perfectè ancilla, ita communiter *ecce* nomini communi applicatum, vt *ecce homo* Ioan. 19. quasi solus despectus *nouissimus virorum* in simili labore solus, ita in simili dignitate ancillæ Domini sola, suprema enim est, ad maternitatem proxima, ideò ait: *ecce ancilla Domini*, totaliter Dominata ex plenitudine gratiæ, possessa omni modo à Domino, & nunquam à peccato, ideò idonea ad Matrem, testante ipsa: *quia respexit humilitatem ancillæ suæ*. Reddit causam, seruitutem Dei, quæ est libertas à

pecca-

peccato. Rom. 6. *Cùm serui essetis peccati liberi fuistis iustitiæ*, vndè maior seruitus maior libertas: ergo summa seruitus, qua Domina ancilla constituitur Domini summa à peccato erit libertas & benè, quia dominium Domini per gratiam est quasi in Diuinam creatam transformare naturam, vt quid suum, quod vno verbo Virgo Sanctissima expresit: *ecce ancilla Domini*, à peccato totaliter libera: qua ratio ne potest credi, nec decet existimari, Filium Dei elegisse in matrem, quæ apud ipsum vili statu seruitutis extitisset peccati, cùm apud Deum maior sine proportione sit hæc vilitas seruitutis, quàm apud homines illa: non ancillæ Regis, sed infimi hominis, cùm ipse non necassitate naturæ, sed libera voluntatis electione sibi præparauerit matrem: nemo enim posset matrem eligere, & dobilissimam inter omnes non sibi præstaret, hoc enim ratio ipsa rationalitatis, siuè intellectualitatis postulat: nil enim indignius, quàm nobilitate carere, & oppositum dignius: ergo nil magis derogat dignitati Redemptoris, quàm matrem habere contagio Originali aliquando infectam.

Secundò quia eò quòd nō fuisset Originali inquinata culpa, non ideò nō esset redempta, cùm fuerit in Adamo, vt capite, salua qui est supremus Redēptionis modus, dignior tali Redemptore, & magis condecens matrem, cui dumtaxàt concessus fuit, & meritò ob matris dignitatem, quod satis ostensum est in prima demonstratione: nam cùm in Adamo genus humanum redimitur, eam solam redimi oportet, quæ Redemptorem humani generis nobis contulit Mater, 8

Ex quo retorqueo rationem, quia si id quod derogat dignitati Redemptoris, est negandum, non esse huiusmodi Redemptionē, est reijciendum, quandoquidē non esset omnibus modis Redemptor, nec copiosa, nec ampla, nec omni modo per-

perfecta redemptio, deficeret aliquod, quod ad esse perfectũ Redemptoris, magis confert, quàm non esse Redemptorem actu vnius; non esseque hoc perfectiori modo redemptorem, non derogat, sed aufert dignitatem; quod aliter ostendo, quia dignitas est celsitudo graduum, secundùm D. S. 2.2.q.183.art.3.ergo dignitas Redemptionis, celsitudo graduum Redemptionis, sed aliquis gradus Redemptionis est in Adamo, vt capite: ergo hic deesset, & cõsequenter dignitas, quæ tollitur per defectum vnius gradus, cùm sit de genere bonorum.

9 Tertiò, quia salua facta fuit Beata Virgo per Christum à peccato omnium, siuè generis humani, ad quod non est necesse, quòd ipsa inquinata fuerit, sed quòd genus humanum ligatum sit peccato, & omnes secundùm rationem collectionis illud habeant: non enim peccatum generis, vel omniũ, secundùm quod omnium, est alicuius: quis enim potest dicere, quòd peccatum Originale Petri est peccatũ omnium, etiam prout inter omnes annumeratur, non enim est, nisi peccatum proprium, vt docet D.S. 1.2. q. 82. art. 2. & 4. potest enim aliquid competens communitati, sumi dupliciter; prout est omnium, vel cuiuslibet: secundùm quòd est vnius, dicit appropriationem illi personæ tantùm; secundùm quòd est omnium, non dicit appropriationem alicui, sed communitatem ad omnes, quæ nõ læditur, eò quòd alicui nõ approprietur. Vt si imponatur tributum alicui ciuitati, omnium ciuiũ erit soluere illud; quòd si aliquis fuerit priuilegiatus in ea, nõ ideò non erit omnium obligatio soluendi, quia priuilegium vnius non destruit vniuersalitatem collectionis: diceretur tamen ille liber ab obligatione omniũ, quia hac obligatione, vt est omnium, non comprehenditur: simili modo dicendũ est, Beatam Virginem Dei Genitricem Mariam liberam fuisse ex meritis Chri- 10

O sti

sti à peccato generis humani, siuè omnium hominum, ideoque ex meritis eius non contraxit illud, nec debitũ habuit, quia est peccatum omnium per propagationẽ, & extensionem contractionis & debiti, quemadmodũ liberam à peccato actuali; veniali scilicèt, & mortali ex gratia per Christum cõfitemur, etsi lex sit 1. Ioan. 1. promulgata, *si dixerimus: quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et iterũ *quoniam si dixerimus, quoniã non peccauimus, mendacem facimus eum* (Deum) *& verbum eius non est in nobis*: libera ergo fuit ab hac lege omnium, & si nec debitum ad peccandum actualiter contraxerit per gratiã ex Christo, quod fateri oportet omnes, qui in peccato Originali conceptam, afferunt: ergo similitèr: quod manifestum nobis fecit similitudine omnimoda Textus Sacer Gen. 19. v. 29. ibi namquè dicitur, Deũ liberasse Loth ex meritis Abrahæ à subuersione Sodomæ, his verbis: *Cùm enim subuerteret Deus ciuitates Regionis illius, recordatus Abrahæ, liberauit Loth de subuersione vrbium, in quibus habitauerat.* Cũ enim Loth 11.
fuisset iustus 2. Pet. 2. & culpa, proptèr quam puniebantur, immaculatus omninò, minimè reus erat pœnæ, subuersionis scilicèt vrbium illarũ; proptereaque nec debitum ad illam vllo modo habebat: qua igitur ratione, rogo, Deus liberauerit Loth, memoratus Abrahæ, hoc est, ob merita illius in conspectu Diuino præsẽntia à subuersione Sodomæ, quã si pateretur, censeretur iniustum, maximè Domino supplicium exequente? nam si alter infligeret pœnam, qui vel nesciret innocentiã Loth vel non esset eius iustum facere, à manu huiusmodi eripiens, liberare poterat Loth; at ipse cognouerat experientia Loth sanctitatẽ, iniquitatemque cæterorum: *à puero vsque ad se-* 12.
nem omnis populus simul, vt ibi v. 4. dicitur. In quibus verbis duo reperio notanda, primum, Deum velle

suam

suam iustificationem nobis ostendere, nè putemus iustum cum impio perdidisse, ob id expresit duplici modo, omnes quos destruxit; peccatores esse, *à puero, vsque ad senem*, distributiuã acceptionem facit, *omnis populus* collectiuam: nam licèt sit vitæ, & omnium Dominus, & pro libito det, cõseruet, & auferat, cùm punit, iustitiam seruat, & quasi esset nobis debitor, satisfacit: *vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum iudicaris.* Psal. 50. vult namquè iudicari, & iustificari apud nos in iudicijs suis, proptereaque eligens Saulem in Regem 1. Reg. cap. 6. v. 2. ait *quòd esset electus, & bonus, & non erat vir de filijs Israel melior illo.* Vt iustificaretur electio illius, quia rectitudine deuiaturus erat, nè putaretur accepisse personã, quod de Dauid nõ dixit: nam bono existente, probabatur electionis iustitia, vt doceat, quid faciat homo, præsertim in potestate cõstitutos; proptèr quòd cap. antec. Gen. citat. v. 22. ait il-

13 li Abraham: *nunquid perdes iustum cum impio?* & paulò post v. 25. *absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustũ cum impio, fiatque iustus sicut impius; non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudiciũ hoc:* ergo maximè longè erat Loth à subuersione Sodomæ in debito pœnæ, & ini u dicio Dei exequentis illam, ex ordine iustitiæ infallibiliter seruandæ; non verò Beata Virgo à peccato generis, humani liberari ex gratia cùm ipsum immineat omni, antequam sit, quo nõ obstante, dicitur: *Deum liberasse Loth à subuersione vrbium, in quibus habitauerat*, proptèr Abraham, estque sensus litteralis historicus facti, qui fide est tenendus: ergo cum maiori proprietate in eodem sensu, quo littera affirmat, liberatũ esse Loth à pœna nefandi crimi- 14 nis ob merita Abrahæ, verificari potest de Beata Virgine à peccato Originali generis humani, siuè omnium homiuum ex meritis Christi, quod desumo, non solũ

ex facto, sed ex verbis huius
textus, qui totum docet: ait
enim; *& omnis populus*:
quod erat secundum notan-
15 dũ, vt detur intelligi, omnẽ
populum esse reum culpæ,
& pœnæ, & quamuis Loth
cum vxore, & filiabus esset
ex populo liber à culpa, &
ex eo à pœna, non propte-
reà falsum est, omnem po-
pulum esse reum: ergo ex eo
quòd Virginem Sanctissi-
mam à peccato Originali,
ex meritis Christi fateamur
immunem, non erit falsum,
omne genus humanum, om
nemq; hominem Originali
labe coinquinatũ, asserere;
sed verum, vt docet fides.

Vt autẽ omnibus sit hæc
doctrina clara, quærendum
est, à quo eam negauerit,
vel dubius fuerit, in quo sen
su verum habet, liberatum
fuisse Loth à Domino de
subuersione vrbium nefan-
darum, ob Abrahæ meri-
ta, quam ipse non tantùm
non merebatur, sed esset in-
iusta illi? & in eodem dicen
dum, Beatam Virginem à
peccato Originali liberatã
ex meritis Christi. Maiorem
autem vim habent verba
eiusdem cap. 19. v. 16. *dissi-
mulante illo* (Loth) *apprehen-
derunt manum eius, & manũ
vxoris, & duarum filiarum
eius eò quòd parceret Dominus
illi.* Noto verbũ *parceret illi*,
cũ innocẽs; & Sap. 10. iustus,
cum egreditur, nominatur:
*hæc iustũ à pereũtibus impijs
liberauit*, qua ratione verum
habet *parceret*, quod culpã
supponit, siuè offensam, nisi
in quantum erat illius popu 16
li pars? quod littera non ta-
cet, dicens, v. 16. *surge, &c.
ne & tu pariter pereas in sce-
lere ciuitatis*, non tuo, sed po-
puli: cuius est ciuis, ciuitas
enim ex ciuibus componi-
tur, vndè scelus eius, omniũ
est. In hoc sensu accipitur,
peccatum Originale esse ge
neris humani, & ideò om-
nium, quod non obest Vir-
ginis liberationi, & salua-
tioni: potest enim, sicut de
Loth asseritur, qui innocens
erat, quòd parceret ei Do-
minus, quod & Virgini pe-
percerit peccatum Origina-
le generis, siuè naturæ, & nõ
ideò illud incurrisse, nec
quoad debitum in persona
quoad

ſequitur, ſicut nec Loth peccatum, nec pœna Sodomæ, quod Dominus illi parcere dicitur, etſi parcere prærequirat culpam magis quàm liberare, ſiuè ſaluare.

17 Pro cuius pleniori intelligētia animaduertendum, quòd liberari ab aliquo, cū in proprietate ſermonis præſupponat eſſe ligatum illo; qui magis diſtat à ligamine, difficiliùs intelligitur liberari; qui autem minùs diſtat, vel magis accedit, propriùs dicitur liberari, ſeu faciliùs intelligitur: cùm autem Loth magis diſtet à ſupplicio Sodomorum, cū interueniat iuſtitiæ inuiolabilis ratio, quàm Beata Virgo à peccato generis humani, quia dumtaxàt obeſt ordo in natura ſeruatus condignitatis Matris, ſiuè Genitricis Dei, quem Deus tantū ex condecentia ſeruat, quē ſi frangeret, nec iniuſtè, nec iniuſtū in rebus fieret, quia ipſe Dominus omnipotens ex infinitate dominij, & perfectionis bonitatis, impoſſibile eſt, quòd iniuſtum faciat: quapropter faciliùs, & propriùs dixi, poſſe Beatam Virginē intelligi ex meritis Chriſti liberatam à peccato generis humani, quàm Loth in eo ſenſu, quo intelligēdū eſt in Sacro Textu, eſſe liberatum à ſubuerſione Sodomæ, ex meritis Abrahæ.

Senſus igitur eſt, quòd Loth ſecundùm quod erat pars populi illius in ſententia generali continebatur, ſecundùm quod ſubuerſio erat pœna inflicta omnibus illis ciuitatibus, & ciuibus illarum; id eſt, pœna omnium, ſecundùm rationem omnium exiſtentium in vrbibus; quòd Sacer Textus non abſcondit, dicens: *liberauit Loth à ſubuerſione vrbiū, in quibus habitauerat*, ecce pœnam omnium habitantium in illis: quarè ſecundū hanc rationem generalem comprehenſus erat Loth, liber tamen exiſtebat innocens: quarè ſenſus eſt, liberatum fuiſſe à ſubuerſione omnium, ſecundùm quòd omnium, habitantium in illis ciuitatibus ex meritis Abrahæ; non quòd ipſe contraxerat pœnam, quia ipſe 18

liber exiſtebat, ſecundùm rationem particularem, vndè ſecundũ quod erat pars illius populi, quem componebat, comprehendebatur pœna communitatis omnium; at prout perſona talis liber exiſtebat, & ab illa dicitur liberatus ex meritis Abrahæ, quod ſufficit ad verificandam liberationem: quemadmodùm lex, quæ ponitur omnibus, comprehendit diſpenſatum, ſecundùm rationem, qua imponitur; excipitur tamen ſecũdùm illam rationem particularem, qua diſpenſatur, nec ideò lex non eſt omnibus impoſita, vt prohibens matrimonium inter conſanguineos in tali gradu, omnes ligat; diſpenſatur quidam, non ideò non ſub lege, quia conſanguineus eſt, ſed fit, vt nõ ligetur illi: ita lex peccati impoſita eſt omnibus; ſecundùm quòd filij ſunt Adæ, diſpenſatur Beata Virgo, eò quòd Mater Chriſti eſt, non ideò peccatum non eſt omnium filiorum Adã, à quo Beata Virgo liberata eſt, quia Mater Chriſti ex meritis eius, nam ſecundũ quòd filia Adæ comprehenſa erat, liberata tamen eſt, prout dignitas exigit Materna.

Nec ex hoc licet inferre,
aliquod debitum contraxiſ- 19
ſe, cùm ab eo eadem ratione ſit libera: ſicut Loth à debito pœnæ erat immunis, & liberatus à pœna nominatur: eaq; ratione, qua à peccato actuali liberam, ſaluamque per Chriſtum, fatemur Matrem, quod nullatenus cõmiſit, nec debuit ex plenitudine gratię, vt viſum eſt ex D. S. 3.p. q.27.art.6. ad 1. à peccato Originali aſſerendum, dico immunem.

Sed quid quærimus exẽpla, doctrinamque, cùm ſacroſancta Tridentina Synodus decernat, fide tenẽdum ſub anathemate ſeſſ.5. can. 3 peccatum Originale *omnibus ineſſe Adæ filijs, & vnicuique proprium*, quæ vniuerſalis non obſtat, etſi duplici vniuerſalitate, videlicèt *omnibus, & vnicuique*, collectiua, & diuiſiua, *omnibus* communitatem, *& vnicuique proprium*, appropriationem ſingu-

ſingulis formaliter importantibus, vt omnibus modis diſtributa intelligatur, ſit diffinita, vt comprehenſa Beatiſſima Virgo cenſeatur, dicente eodem Conc. ibi §. declarat: *declarat tamen hæc ipſa ſancta Synodus, nõ eſſe ſuæ intentionis, compre-*
20 *hendere in hoc decreto vbi de Originali agitur, Beatã, & immaculatam Virginem Mariã Dei Genitricem*: ergo poteſt dici, Beatam Virginem ſine peccato Originali eſſe conceptam, abſquè præiudicio vniuerſalis illius diffinitæ, & ideò indefectibilis veritatis: & quod magis ponderandum eſt, quòd ipſa ſancta Synodus diffiniens omnes filios Adæ, & quemlibet peccato Originali coinquinari, fide decernebat, eſſe tenendum, cum intentione nõ comprehendendi Beatam Virginem, nec arbitratur in conueniens, omnes, & quem libet in peccato concipi, aſſerere, & Beatam non comprehendete Virginem, quarè ſi fide determinetur, ipſam ſine peccato eſſe conceptam, illi Canoni non præiudicabit: ergo infirmũ eſt argumentum ex vniuerſali ad particularem Beatæ Virginis in hac materia, & conuenienter affirmatur à peccato omnium, id eſt, ab vniuerſali illa eſſe per Chriſtum redemptam.

Dicet quis, vt inficiat D. 21
S. ſententiam, Chriſtum Dominum eſſe Saluatorẽ omnium, quoad ſufficientiam, non quoad efficaciam, vt patet in omnibus infidelibus, qui à peccato Originali nõ mundati, in eo, & alijs moriuntur, ſicut & pueri non baptizati: vndè non eſt bona conſequentia inferre, ex eò quòd Beata Virgo non fuiſſet in Originali concepta, Chriſtum Dominum non eſſe Saluatorem omnium, adhuc facta diſtributione pro ſingulis; quia reſpectu Virginis eſſet Saluator quoad ſufficiẽtiam, quia habebat ſufficientiam ad ſaluaudam illam, quam uis efficacia non indigueṛit, quoad mundari à peccato Originali, benè tamẽ, quoad infuſionem gratiæ, ideoque eius Saluator eſt ſimplici-

ter dicendus; cùm præcipuũ Saluatoris munus est, gratiam mereri, & infusio eius, quæ est vita, & salus; peccatum verò expellere, est minùs principale, & terminus à quo: sicut Medicus salutem intendit infirmo, quæ est finis illius, habens terminum à quo morbum, quẽ expellere procurat, tãquam medium, vt consequatur salus. Itaque erit Saluator quoad sufficientiam emundationis à peccato, & quoad efficaciam infusionis gratiæ: & hac eadem ratione dicetur redempta; quia habebat potentiam contrahendi, & committendi peccatum, ex eò quòd esset filia Adæ per generationem ex commixtione Maris, & fœminæ Originale; quia creatura defectibilis, actuale.

22 Quid de hoc sensu sentiendum, non de termino, circa intellectum autem D. S. errare affirmo, nam art. 2. q. 27. in C. infert, quod Beata Virgo, si nunquam incurrisset maculam Originalis culpæ, non indiguisset Redemptione, & salute, quæ est per Christum, de quo dicitur Matth. 1. *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, quod confirmat ex 1. ad Timoth, 4. *Speramus in Deum viuum, qui est Saluator omnium hominum, maximè fidelium*, loquitur D. S. de sanctificatione ante animationem: nam hæc sanctificatio non esset hominis, sed quasi animæ rationalis ante animationem corporis: ita vt intelligatur anima sanctificata, antequàm informet, siuè animet corpus, *&* *quocumque modo intelligatur huiusmodi sanctificatio antè animationem, nõ esset per Christum*, quia Christus est Redemptor hominum, non animarum ante vnionẽ: quarè si peccatum Originale non contraxisset ex vi sanctificationis, quæ non esset per Christum, nullo modo dicendus esset eius Redemptor, nec sufficienter, nec efficaciter, quod est inconueniens D. S. vndè bona est eius consequentia; sensus autem ille oppositus claudere videtur dissonũ consequẽs, videlicèt quòd, etsi aliquis

haberet gratiam, non per Christum, verùm nihilominus esset, Saluatorem esse omnium; innuit enim ad huius veritatem non requiri, quòd omnes, qui à peccato mundantur, mundentur per
22 Christum, sed sufficire, esse Saluatorem, quoad sufficientiam, cùm sit fatendum necessariò, salutem nō conferri alicui efficaciter, nisi ex ipso, quod tradit Apost. cit. 2 ad Timoth. 4. *Saluatorem omnium, maximè fidelium*, id est, fidem, & gratiam habentium: horum quidem efficaciter, quoad collationem gratiæ, & à peccato mundationem; illorum autem sufficienter; est enim virtus redemptiua Christi vnica ad emūdanda peccata per gratiæ infusionem: vndè nec mundari à peccato, nec gratiam infundi, est nisi per ipsam: quarè dicere, aliquam gratiam post lapsum Adæ alicui fuisse datam, non per Christum, censura graui est dignum: vt supra habitum est, vt autem nil maneat conquirendum.

Sit difficultas, an Saluator fuerit Christus Dominus, dicique possit Matris, eò quòd ei per ipsum porta Cœli fuerit aperta, & beatitudo, siuè visio Dei communicata, quæ est perfecta, & consumata salus, vita scilicèt æterna: nam si ante filiū è vita decederet, nec Deū videret, nec cœlum penetraret, sed in Limbum descenderet Patrum, vt docet D. S. 3. p. q. 27. art. 1. ad 3. à quo per Crucem liberata fuisset: ergo sufficiens est ratio, vt dicatur Saluator Matris, etsi gratiam ex ipso non recepe rit. Cui difficultati valdè faciunt D. S. verba ibi: *ad 3. dicendum, quòd Beata Virgo sanctificata fuit in vtero à peccato Originali quantùm ad maculam personalem, non tamen fuit liberata à reatu, quo tota tenebatur obnoxia vt scilicèt non intraret in Paradisum, nisi per hostium Christi, sicut & de Sanctis Patribus dicitur, qui fuerunt ante Christum.* At non sufficit hæc liberatio, vt Saluator dicatur Virginis: quia Saluator propriè significat à peccato per gratiam liberator, nec esset

 per-

2 Dices, quòd diuersa signa in Ieremia, & Baptista non ponuntur à D. S. ex parte peccati deleti, nec ex parte status, in quo fit sanctificatio; sed ex parte medij, passionis scilicèt, qua sanctificati sunt omnes post lapsũ Adæ & Baptismi, post mortem Christi, quarè nil probare videtur argumentum.

Respondetur, quòd argugumentum assumitur tantũ ad præcedentiam signi respectu signati: quarè si in vtero inuenitur sanctificatio à peccato Originali, signum debet esse sanctificatum, ante contractionem in vtero; non autem dico, signum esse huius sanctificationis, sed sanctificationis naturæ per assumptionem, quæ est verè liberatio ab Originali, & maxima omnium per excellentius medium sanctificatio, cuius signum debet à proportione sine peccato Originali concipi, hocque, quia dignius, esse Beatam Virginem.

(§)

Eadem 3. p. q. 34. art. 1. ad 2.

§. VII.

COnstituit D. S. triplicem sanctificationis modum, secundùm triplicem mutationis ordinem à contrario in contrarium: positiuè, priuatiuè, & negatiuè. Positiuè est à peccato in gratiam mutatio; vt cùm subiectum habens peccatum sanctificatur. Priuatiuè à peccato in potentia in gratiam mutatio subiecti potentis habere peccatum, non tamen habentis. Negatiuè verò à non peccato in gratiam mutatio; vt cùm subiectum sanctificatur, non potens habere peccatum. 1

Triplex hic sanctificationis modus, eò quòd ad sanctificandum hominem venit, secundùm id, quod Baptista dixit: *Sanctifica me, Saluator;* debet inueniri in santificatione per Christũ, eò quòd oporteat fateri, fuisse in ratione sanctificationis perfectam, & completam in

suo

suo genere, infra sect. 3. §. 2.3. sed sanctificatio negatiuè inuenitur in ipso, vt ibi D.S. docet, & positiuè in nobis: ergo priuatiuè est ponenda in aliquo, nè desit aliquis sanctificationis modus; sed de Beata Virgine dumtaxàt licet affirmare: ergo priuatiuè sanctificata fuit, ideóque sine macula concepta; ipsa namquè sola, cùm potuerit habere peccatum, nō habuit in primo instanti animationis sanctificata.

2 Confirmat hanc rationē ordo, quem seruauit, cùm Mundum fecerit Deus, mutationem efficiēs: negatiuè, in eductione formarum Cœlestium, quæ non possunt habere contrarium: priuatiuè, in eductione elementariū, quæ quidem habere possunt contrarium, non tamen actu habuerunt: positiuè in generatione mixtorum ex contrario in contrarium: ergo in sanctificatione eundem seruauit ordinem, vt perfectum sit opus, cùm in supernatulibus, quem dedit naturæ custodiat.

Deindè, quia Deus potentia ordinaria operans, nunquam posuit extrema, non posito medio, quia ordinatè agit: ratio autē ordinis hoc petit, non enim datur transitus de extremo ad extremum in ordinatis, non per transito medio.

Præthereà, quia cùm proximior sit Beata Virgo, quā nos Christo, modo sanctificationis est sancta, quo proximior est sanctificationi Christi, hic est priuatiuè sanctificari, cùm magis accedat ad sanctificationē Christi, negatiuè scilicèt sanctificari; nō enim ex maiori gratia, etsi proximior sit in esse sanctificatā, est proximior in fieri sanctam, quia actio ex modo tendendi formalizatur & similatur alteri.

Hoc nō parùm clarescit, si consideretur opus Redemptionis, secundùm quod est à peccato liberare, in qua ratione formalius quid est terminus à quo, vndè modus in ordine ad ipsum spectat ad specificationem; & est essentialis: vndè si deesset aliquis, opus Redemptionis non esset essentialiter completum 3

pletum

pletum, quod est inconueniens: ergo dicendum est fuisse positiuè, priuatiuè, & negatiuè à peccato liberatum hominem: ergo Virginē Beatissimam priuatiuè sanctificatam, & ideò sine labe conceptam.

SECTIO III.

Opponuntur auctoritates Sacræ, & D. S.

§. I.

Roman. 5.

OPusc. illo hanc auctoritatem mihi oppo- sui, eique satisfeci hoc ordine.

Ex Apost. Rom. 5. *Omnes in Adam peccauerunt*: ergo & Beata Virgo; cum syncathegorema *omnes* neminem excludat.

Dico, esse veritatem fidei non indigentem expositione: quia verificaretur, etsi omnes post Adami peccatum sine eo concepti essent. Poterat namquè Deus à nexu culpæ in Adamo totam absoluere naturam, tuncq; omnes sine peccato conceptos, & in Adamo peccasse, esset dicendum: quia vt sit verum, *omnes in Adam peccauerunt*, sat est, vt in Protoparente tota natura fuerit infecta, quod verificatur eo præcisè, quòd Adam fuerit lapsus; quamquam post lapsum totum liberaretur genus: concipi enim sine peccato, est quid personale, personæ existenti competens.

Omnes namq; in Adam peccasse, non est formaliter aliquem in persona deliquisse, sed in origine totam naturam infectam fuisse, & ideò omnes participantes naturam, participare peccatum: nam eo modo, quo in Adam sunt, peccasse dicuntur, quod non tollit, posse sine peccatō cōcipi, sicut nec esse cum posse in origine à peccato redimi, nec ipsum

non

nõ redimi nõ opponatur suc-cessiuè ad peccasse in illo.

Quod manifestum sic fa-
2 cio. Omnis propositio de præterito eò est vera, quia in aliquo tempore præsenti fuit vera: ergo eò est verũ, *omnes in Adam peccauerunt*, quia in aliquo præsenti fuit verum, nunc *omnes in Adam peccare*, quod tunc temporis cõtigit, quo cõmittens erat peccatum; at tunc nemo filiorum eius existebat, & tantum erant in ipso, vt in origine: ergo de omnibus, vt in origine verificatur propositio in rigore sumpta; aliter de non existentibus prædicari posset, esse peccatores, cùm eo tempore, quo non erant, peccare affirmaretur, quod improbabile iudico: quia peccatum cùm sit valdè accidentale homini inest ei existẽti D. S. 1. 2. q. 71. art. 2. nec iungitur in propositione, nisi secundùm regulam accidentalis suppositionis, quæ est *acceptio termini pro aliquo de quo verificatur, secundùm exigentiam temporis importatam per verbum, propter indifferentiã prædicati cum subiecto*; quarè, vt sit vera propositio de præsenti, necessè est, quòd vtrumque extremum existat, & pro eodem supponat, si affirmatiua est; quòd si fuerit de præterito, idem requirit in aliquo transacto præsenti: ergo in sensu rigoroso litteræ concedenda est absolutè prædicta Apostoli propositio, ex eaque nil aduersùs intentum dicendum sequi, cum quo tamen stat omnes contraxisse Originalem culpam & contrahere; eò quòd in Adamo peccauerint: quia ex hoc necessariò sequitur illud, si in Adamo non sunt redempti; vti non esse secundùm fidem ex Cõc. Trident. sess. 5. can. 2. est tenendum, non comprehensa Beata Virgine Maria ex eius mente ibi §. *declarat*.

Non licere, ex vniuersali particularem inferre addo.

Concil. Trident. decreuit sess. 5. c. 3. omnes fi- 1
lios

lios Adæ contrahere peccatum Originale, & vnicuiq; esse proprium sub anathemate: quo non obstante declarat ibi, non esse suam intentionem, comprehendere Beatam Virginem: ergo in vniuersali non est comprehensa, quod fide tenendum est: quia à Concilio inuenitur declaratum: ergo ex vniuersali omnes contrahunt peccatum Originale, nõ licet inferre: ergo Beata Virgo Maria: quia in vniuersali non continetur: quod facit euidens casus. Detur, quòd diffiniatur, vt potest, nõ esse conceptam in peccato Originali, esset de fide: sicut est, omnes contraxisse illud, sine cuius veritatis præiudicio determinaretur, vtraq; enim veritas esset fidei, & cõpossibilis in veritate, sed vna est vniuersalis affirmatiua, altera particularis negatiua: ergo hæc non includitur in illa, nam si includeretur, ex lege contradictoriarum impossibiliter vtraque esset vera.

2 Ex quo non sequitur esse aliquid diffinitum pro aliqua parte, sed tantùm negatiua, hoc est, non esse inclusam in vniuersali Beatam Virginem, quæ est inclusiua negatiuè tantùm; nam exclusiua positiuè non est determinata: hæc enim est, de qua controuertitur, quam demonstratam modo possibili reputo, non tamen diffinitam.

Opponuntur D.S. dicta.

§. II.

Dixi in Opusculo illo ad auctoritatem D. S. 3. p. q. 27. art. 2. vbi asserunt communiter omnes, affirmasse Virginem Beatissimam Originalem contraxisse maculam, sequentia verba. 1

Sine discursu auctoritati assentior, cuius intellectum si fortè non percipiam, credo, sufficit mihi ipsum dixisse: non enim quod Diuinum illud ingenium concipit, attingere præsumo, quarè hac in re ab eo non discedo.

Dico

Dico ad obiectionem D. S. nil agere de puritate Cõceptionis illo in loco, quarè aduersarius non habetur ipse. Pro quo notandus est titulus articuli. *Vtrum Beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem?* Cum verbis in corpore. *Sanctificatio, de qua loquimur, non est, nisi emundatio à peccato Originali.* De qua probat, esse impossibilẽ ante animationem, omittẽs instans animationis maiori impossibilitatis ratione: nã in eodem subiecto, & instanti eodem, peccatum, & gratiam compati, videtur non posse. At peccatum esse, & mutationem de illo ad gratiam, ita vt in eodẽ instanti, de eodẽ subiecto affirmari possit, est in peccato, & in gratia, & de peccato ad gratiam mutatum, absquè eo quòd simul sint gratia, & peccatum, manifesta est cõtradictio, ideò de primo instanti nihil agit, *quia iustificatio de qua loquebatur; quæ est mundatio à peccato Originali per gratiam,* fieri in primo instanti, est impossibile logicum; quarè hoc omisit, vt manifestius impossibile, & aliud, nimirùm non posse fieri ante animationem, declarauit, quia vt mundetur quis à peccato Originali, debet esse creatura rationalis, & in peccato existere, quia mutatio necesse est, quod supponat sebiectum, & terminum à quo. Vndè conclu dit, quod *Sanctificatio de quo loquitur*, non potest fieri, nisi post animationẽ, quod omnibus compertũ existimo: quia emundatio à peccato in persona supponit illud, sicut resurrectio mortem.

At cùm ponimus liberationem à culpa in origine ex meritis Christi, ex qua sine peccato est concepta Beata Virgo, impossibile est fieri post animationem, & post peccati contractionem in se, quia non est, cùm existit in origine, nam ex vi liberationis in Adamo venit sine peccato, & in gratia cõcipienda, & non est aliter communicabilis natura humana tali personæ, vt ab Adamo procedit, tali supposita liberatione à culpa in ipso: ergo D. S. non est con- 2

trarius, & quod ibi tradit, vt indubitatũ, est admittendũ.

3 Quod multipliciter ostẽdo: primò, quia loquitur D. S. de sanctificatione in persona, non de liberatione in Parente, vt patet per ipsius verba, quibus limitat suam resolutionem *ad sanctificationem. S. de qua loquitur.*

Secundò, quia non potuit latere D. S. posse Beatam Virginem multis modis à Deo esse liberatam, quod admittit, dum in responsione ad 3. asserit non reprobandam festiuitatem Conceptionis, & cùm non celebretur, nisi sanctũ; sanctam probabiliter eam iudicauit: ergo agnouit possibilitatẽ; at impossibilis est Conceptio sancta de sanctificatione, si agamus, *de qua loquitur*: ergo de illa tantùm negauit & de alia nihil egit.

4 Tertiò, quia notum est hoc iudicium cùm limitet ad sanctificationem illam resolutionem: nam qui ait, *Sanctificatio, de qua loquimur* Aliam agnoscit, sup. sect 2. §. 7. num. 1. quam præterire cautè decreuit: agnoscit etiam quam pono, quia ante animationem, hæc dumtaxàt ex meritis Christi intelligitur dabilis, nam quam hucusquè pietas communiter defendit in primo instanti animationis fuisse in persona, nec ante animationem esset, nec ex meritis Christi, vt probat ibi ipse. Vndè hanc esse sententiam D. S. apertè appareret, quam ob rationem statim exhibendam, non expressit, quo absolutè aliquid determinare secundùm propriam mentem, inferre non licet: quia non de sanctitate absolutè, etsi de illa interroget, sed de qua loquitur, resoluit: quasi diceret, non determino de Sanctitate, quã Beata Virgo in primo fuisse habuit, *sed de qua loquimur*, quæ si conceditur, necesse est dicere, in peccato esse conceptam.

Non ergo sanctitatem ad illam de qua loquebatur restringeret, si absolutè verum, secundùm propriam sententiam, quod tradebat, iudicaret.

5 Cur autem non expresserit.

rit mentem, impromptu est ratio, quia vt ipse ibi. art. 1. docet, quod pertinet ad ordinem gratiæ, si locus Scripturæ nō inuenitur, quid Ecclesia senserit, vt præcipuum fundamentum expectandū. Quo supposito, rationem indagare licet, sine quo cohibere intellectum oportet, nam in mysterijs gratiæ puræ non inquirere, sed obedire est meliùs, quarè de sanctificatione ante natiuitatē Beatæ Virginis agens q. cit. 27. ex consensu Ecclesiæ cōmuni determinans, actionē fundauit pro illa art. 1. & in hoc 2. ibidem obseruat, quia tunc erat communior sentētia, sanctificatam Beatam Virginem esse, ea sanctificatione, de qua agebat; quarè ad illam limitauit sententiā, non suam, sed communem, de qua illo tempore loquebantur omnes, aliquibus exceptis, quam vt fundaret, rationes, quibus in art. est vsus, adinuenit, seu ad inuentas apposuit.

6 Cùmque, vt regula Theologorum esset Ecclesiæ datus, subijciebat, non tantùm Ecclesiæ diffinitioni mentē, sed communiori opinioni, non credens suæ, quia meliùs, & securiùs, cùm sit in obedientia præstanda Ecclesiæ, est eligendū: nam verus obediens, non tantùm quod præcipit superior, sed quod ei placet magis, exequitur: hoc enim est Doctoris magis Catholici, vt cedat suam Ecclesiæ receptiori menti, nam si hoc non sit necessarium, semper est melius, pertinens ad perfectionē, quamuis non ad necessitatem.

Non igitur propria mens, sed quod tunc temporis erat in Ecclesia communius determinat ibi, vt ostendunt verba, *sanctificatio, de qua loquimur*: ergo nihil de puritate Conceptionis absolutè egit, sed de tunc temporis sanctificatione vulgata.

Obijcitur tamen: quia D. S. ibi probat conclusionem his verbis: *si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquā incurrisset maculam Originalis culpæ, & ita non indiguisset redemptione, & salute, quæ est per Christum, de quo dicitur* 7

Matth. 1. ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum: hoc autẽ inconueniens est, quod Christus non sit Saluator omnium hominum: ergo sua est sententia, Beatam Virginem esse sanctificatam, post animationem, quia inconueniẽs maximum est, quod infert, & inuincibile ex Sacræ paginæ locis iudicatur, nimirùm B.V. non per Christum accepisse gratiam, & esse saluam per eum, qui Saluator est omnium, quod sequi afferit, quocumque modo dicatur esse Sanctam ante animationem: ergo omnẽ immunitas modum comprehendit: ergo & in origine, quia *quocumque modo* distribuit per omnes.

8 Hoc confirmat ad 2. cùm dicit: *derogare dignitati Christi, si nunquam anima Beatæ Virginis contagio Originalis peccati fuisset inquinata*. Quibus verbis apparet, non reliquisse interpretationis locũ: ergo *sanctificatio, de qua loquitur*, est quam necessariam putat, supposito Christo Redemptore. Non est ergo cur negetur, esse eius mentẽ, fuisse in Originali peccato, vt omnes eius fatentur discipuli, suæque Scholæ est vsque modò communis sententia.

Respondeo, D.S. loqui iuxta sensum opinantium illo in tempore B. V. in persona sanctificatam esse in Conceptione sine Originali culpa, quæ est opinio pia, vsque modo à propugnantibus eam cõmuni sensu recepta. Quapropter ait, quocumque modò dicatur hoc, sequi non esse per Christum sanctam, nec ipsum esse eius Redemptorem, quod credo securũ: esset enim, sicut Christus, quod insinuat in resp. ad 2. nam redemptio supponit captiuitatem, sicut resurrectio mortem, impossibile autem est, resurgere non mortuum, ita, & redimi non captiuum: ergo persona, quæ non fuit captiua, redimi non potest in persona; persona autem, antequam sit, non valet esse captiua in se, quia nõ est: quod autem non est, est in se nihil, & non entis nullæ sunt qualitates, cumque loquatur de sanctificatione in persona, rectè concludit, quia in persona non potest liberari, quæ

non

non fuit in persona ligata. Vndè non habere Redemptorem, esset dicendum; at liberatio in origine Redemptorē habet, eo ordine, quo in ipso est, & in ipso peccauit, quarè perspicuum valdè videtur, non loqui de huiusmodi immunitatis principio, quod supponit peccatū, & Redemptorem exposcit in Capite, sed de illo, quod redemptionem excludit, & culpam in persona.

9 Nec elidit rationis efficaciam, quam ponunt Moderni redemptionem præseruantem, tùm quia præseruare à captiuitate, non est redemptio, maximè apud eos, qui nec debitum ad culpam admittunt. Tùm quia quod nō est, non præseruatur, quia esse est primum, quod rei cōpetit, ratione cuius aliud quidpiam, maximè præseruatio, quæ supponit subiectum existēs præseruandū, non enim, quod non est, est præseruabile, quia præseruatio à malo supponit subiectum capax, quod est existens, præseruatio namquè conseruationis, & perfectionis est medium, quæ sequuntur esse: ergo nō est possibilis præseruatio, respectu personæ non existentis: possibilis autem est infusio gratiæ cū ipso esse, vt in infusione animæ primi Parētis euenisse creditur. Hoc autem tollit redemptionis rationem, quæ est S. D. fundamentum non admittendi sanctificationem in persona antè animationem, vt colligitur ex toto articulo, & argumentorum, resp. maximè ad 4.

Ad id verò de communi consensu Discipulorum, & D. S. Scholæ dico, hoc non mutare D. S. sensum, nec aliquid in eū influere, nam eò quòd vnanimitèr dicant omnes D. S. docuisse aliquid, quod non docuit, non ideò doctrinam esse suam fateremur. Omnes namquè quos vidi 3. p. q. 78. art. 5. asserunt ibi D. S. tenere ad substantiam consecrationis sanguinis pertinere verba sequentia ad illa: *Hic est calix sanguinis mei, vsque ad remissionem peccatorū*; cùm ipse dicat ibi, per verba: *Hic est calix sanguinis mei, significari* 10

con-

conuersionem vini in sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis. Reliqua verò verba alios habent effectus. Non autem ideò, quia ab omnibus affirmatur, dicam: ego enim non cum illis, sed cum S.D. loquar.

Nec mirum post aliquòt sæcula veritatẽ patuisse per infirmum mediũ, quia hoc ad diuinam spectat prouidentiam, modo, & tempore, quo vult ille, qui paruulis reuellat, quæ abscondit Sapientibus. In Prophetis enigmaticè olim loquens, multifariè, post quatuor millennaria locutus est in Filio palàm. Multa enim occultare voluit viris, etsi maiori Sanctitate, & Sapientia insignibus, primis sæculis, quæ posterioribus, quamuis miseris patefecit, *quia iudicia Dei abissus multa.*

Non satis egisse de mente D. S. visum est non paruæ notæ viris, quapropter repetere eius verba, & singula declarare decreui, §§. sequentibus.

D. S. nullibi est contrarius.

PRIMVS LOCVS.

§. III.

CVm summa Theologiæ quam quatuor comprehendunt partes, sit D.S. vltimus halitus, legitimusquè assensus quasi doctrinæ suæ testamentum præomnibus suis operibus; si nil aduersùs inueniatur in ea: nulliui esse contrarium est tenendum. Sit primus locus.

1.2.q.81. art.3. *Respondet dicendum quòd secundùm FidemCatholicam firmiter est tenendum, quòd omnes homines, præter solum Christum, ex Adam deriuati, peccatum Originale ex Adam contrahunt, alioquim non omnes indigerent redemptione, quæ est per Christum, quod est erroneum.*

Respondeo, quòd Concilium Tridentinum, responderet sibi: etenim, vt visum est diffiniens fide, tenẽdum, om-

omnibus in esse, & vnicuique proprium peccatum Originale, declarat hac diffinitione Beatam Virginem non comprehendi, & notū est, aliter contra fidem non tantùm asserere, sed & dubitare, ipsam sine macula conceptam esse oporteret, & cùm diffiniretur, non contraxisse originis labem, falsam esse diffinitionem illam vniuersalem, esset fatēdum; quod absurdissimum, & infandum est, cùm nil maioris sit certitudinis in veritate, quàm à Concilio diffinitū, vt est omne, quod obiectum fidei ambit: ergo non obstat vniuersalis illa D.S. sicut nec vniuersalis distributiua Concilij quæ illo verbo, *vnicuique proprium*, maximam vim habet, eò quòd appropriationem cuilibet indiuiduo naturæ humanæ denotet; qua non potest esse maior diuisio pro singulis, vt vnusquisque sit in illa contentus.

Respondeat tamen sibi
2 ipse D.S. cū in 1. dist. 27. q. 2. art. 4. ad 3. vt visum est, dixerit, conceptam fuisse sine peccato Originali: ergo contra fidem affirmasse, esset arguēdus ex propria sententia, idque non deleuisse, non careret censura, retractare se namque deberet hoc in loco 1. 2. 3. p. q. 27. art. 2. ad 3. ait, quod *licet Romana Ecclesia Conceptionem Beatæ Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum, illud festum celebrantium; vnde talis celebritas non est totaliter reprobanda*: idē asserit quotl. 6. q. 5. art. 1. quærit ibi, an liceat celebrare Conceptionem Dominæ nostræ, & respondet, licere: quia aliquæ Ecclesiæ illam celebrant, nihil autem horum potest affirmari tuta fide, de opposito illius, quòd secūdùm ipsam firmiter est tenendum, aliter contrarium fidei toleraretur ab Ecclesia, vt tanquàm sanctum celebraretur ab aliquibus Ecclesijs, consuetudine, quæ vt talis aduersatur abusui, interueniente, quæ eò quòd Ecclesiæ dicuntur, Fide Catholica supponuntur constitutæ, nequè ab ipso D. S. talis celebritas non

non totalitèr reprobanda affirmaretur, licereque: alitèr contrarium Fidei, vel erroneum licitum, vel non reprobandum sentiret, imputaretur namquè illi, quod absit cogitare: ergo in vniuersali illa nō intellexit Beatam Virginem conteutam, sicut, & Concilium fecit.

Hanc exceptionem à peccato Originali in Conceptione Beatæ Virginis tradidit nobis D.S. in illa exceptiua, *præter solum Christũ*, nam cùm deChristo loquimur secundùm esse genitũ in tempore, vt loquitur D. S. ibi de ipso, vt filio Adæ, intelligenda est Mater eius secundùm quod affirmatur conuenire Christo in illo esse, quòd non potest intelligi, non intellecta Beata Virgine gignente illum, quia esse genitum non intelligitur nō intellecto generante, quia genitum ab aliquo generante & genitũ: ergo, &c.

3 Deindè, quia medium necessarium consecutionis, siuè executionis finis, proximè connexum cum illo est, eiusdem rationis bonitatis, & amabilitatis cum fine, vndè eodem actu voluntatis, quo intenditur finis, vt consequendus, huiusmodi medium, est volitum D.S. 1. 2. q.8, art.3. & q.17. art.4. sed secundùm illud esse quo Christus dicitur conceptus in gratia, consideratus, vt finis consequendus, siuè exequendus, medium proximũ consecutionis, siuè executionis, necessariò connexũ, est sola Virgo Mater Genitrix eius: ergo eadem bonitate, & amabilitate prædita, & eodē actu amata à Deo; hac tamen differentia, quòd Christus proptèr se, Virgo propter ipsum, eò quòd habeat rationem medij; hoc autem maximè tenet in medio, quod est causa finis: est enim Mater generans, velut causa efficiens geniti: ergo secundùm esse genitum trahit ad se Genitticem, à qua esse genitum accipit, & vnitur illi, secundùm illud: ergo cùm excipitur ab aliquo malo aliquis secundùm esse genitum, & conceditur aliquod bonum, excipitur Genitrix eius, & fit particeps il-

lius

lius boni: ergo cùm D. S. excipit Christum à malo Originalis peccati in Conceptione, excipit Sanctissimã eius Genitricem, qua propter in illa vniuersali eam nõ cõprehendit, quia excepto Christo, exceptam Matrem intellexit.

4 De extensione priuilegij humani ad cõiuncta, & correlata egerunt plures, Barbosa in *l. quia tale. ff. de solut. matrim.* Suarez *lib. 8. de lege humana cap. 11.* extensionem verò priuilegij Diuini facta in Sacris litteris testantur: immunitas namquè, siuè priuilegium, priuilegiatum, & eos qui eius sunt, ambit. Audiantur Angeli ad Loth à subuersione Sodomæ liberantes illum; *habes hîc quemquam tuorum generum, aut filios, aut filias, qui tui sunt educ de vrbe hac, delebimus enim locum istum.* Gen. 19. v. 12. vbi notandum, *qui tui sunt*, vt priuilegium personale intelligatur comprehẽdere eos, qui quoquomodò non dicunt alteritatem, quarè subdit textus v. 16. *Dissimulante illo apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarũ filiarũ eius eò quòd parceret Dominus illi:* ecce clariùs rationẽ, & causam reddit liberationis vxoris, & filiarum, quia parcebat Dominus Loth; non illis, sed proptèr illum: quia in priuilegio comprehendi ex natura exceptionis personalis, coniunctos personaliter intelligebatur, quod, & littera confirmat, *eduxerunt que eum, & posuerunt extra ciuitatem*, quasi solùm eductus sit, cùm eductæ essent vxor, & filiæ, vt manifestetur, nomine illius educi: quẽ intellectum maximè iuuat recapitulatio in eodem cap. 19. v. 29. *Cùm subuerteret Deus Ciuitates Regionis illius, recordatus Abrahæ liberauit Loth de subuersione Vrbium, in quibus habitauerat,* 5 quibus verbis recopilator totũ circa Loth factũ, poterat ex illis verè inferre: ergo omnes habitantes in illis ciuitatibus, præter solũ Loth perdidit Dominus, & nihilominùs non ideò vxor, & filiæ subuersæ haberẽtur, quia in exceptionibus personarũ,

quæ earum sunt, censentur exceptæ, etsi non exprimantur: idem inuenitur Sap. 10. *Hæc* (Sapiētia) *iustū* (Loth) *à pereuntibus impijs liberauit fugientem, descendente igne in Pentapolim.* Ecce solus dicitur liberatus Loth, cùm sint, & filiæ liberatæ cum illo, quod & ibi habetur de Noe, *propter quem* (Cain) *cùm aqua deleret terram, sanauit iterū Sapientia contemptibile lignū* (Noe) *gubernans*; quasi solus cùm fuerit cum vxore, filijs, & eorum vxoribus; de quo tantùm dicitur inuenisse gratiam apud Deū Gen. 6. v. 8. *Noe verò inuenit gratiam coram Domino, vt liberaret illum*, quarè dixit ei, *finis vniuersæ carnis venit coram me*: nec extra gratiam illam, quæ exceptionis erat filij, & vxores fuerunt, nec in vniuersæ carnis nomine cōprehensi, nec in verbis sequentibus v. 17. *ecce ego adducam aquas diluuij super terram, vt interficiam omnem carnem in qua Spiritus vitæ est subter Cœlum: vniuersa quæ in terra sunt, consumentur*; nec ipse, nec filij, nec vxores sunt deleti: quia in vniuersali nō continentur dispensati, & in dispensatione personæ coniunctæ dispensantur: audiatur ibi Deus: *ponam fœdus meum tecum*: en priuilegium soli concessum, effectus familiæ sequitur, *& ingrediens Arcam tu, & filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum* graduantur in priuilegij participatione: priùs filij, quia aliquid illius sunt, ab ipso namquè habēt esse: ergo multò magis Mater participat exceptionem Filij in eo esse, quod ab ipsa accipit; in quo videtur tàm esse Matris, quam Filij.

Quod ex D. S. eadem 3. p. q. 28. art. 1. roboratur; ait enim ibi, quod *quia caro erat Verbi Dei, & verbum corruptionem cordis, cuius est, nō patitur, conueniens fuit, vt ipsa sine corruptione Matris conciperetur*: ergo cùm loquitur de incorruptione peccati Filij, incorruptionem peccati Matris affirmat: cùm magis hæc, quàm illa ad Filij integritatem conferat, cùm opponatur puritati, quæ ei est essentialis, peccatum: carnis.

nis verò corruptio integritati carnis à matre acceptæ, vel vt D. S. vult, significatio ni integritatis verbi: ergo magis cōueniens est integritas sanctitatis, siuè incorruptio animæ, quā carnis: ergo concessa fuit Matri: etenim corruptio spiritualis integritati verbi immediatè opponitur, non ita carnis.

7 Confirmat hunc sensum natura: quia Christus Dominus, sicut quilibet alter, in Cōceptione est quasi idem cum Matre, quia accipit esse vnitum Matri in ventre: quarè, quod de ipso affirmatur secundùm tale esse, est quasi affirmari de Matre, quod & per decursum nouem mensium, vsque ad natiuitatem idem ferè est asserendum, quia est vnitus Matri, ait enim D. S. 1. p. q. 113. art. 5. ad 3. *quòd dùm est in ventre, nō est totaliter separatus puer à Matre, cùm sit per quādam colligationem aliquid Matris, ideò non datur ei Angelus Custos, qui datur omni homini*: ergo est secundùm hanc rationem idem homo, quis enim diceret, esse alterum? Nam si alter esset, ius daretur inter matrem, & filium in ventre, quod minimè est dicendum, hoc enim nullatenus conceditur ante pubertatis annos, & post illos secundùm quid tantùm datur, sicùt & iustitia, quæ quia est ad alterum, non inuenitur simpliciter inter Parentes, & filios, quia filius non est alter simpliciter, sed parentis aliquid, ideò hoc ius vocatur paternum, quasi secundùm quid, respectu simpliciter iusti, docet D. S. 2. 2. q. 57. art. 4. ex Philop. ibi cit. si enim filius adultus nō est alter simpliciter à matre, & in ventre est vnitus, & in quolibet horum esset sufficiens ad probandum fundamentum, cùm sit identitas aliqualis, quid erit in ipso concipi, de quo D. S. loquitur? ergo excipiendo Filium, excepit Matrem: si enim non exciperet, eius fuisset sententia, tenēdum esse, secundùm Fidem Catholicam, Virginē conceptam in peccato Originali, aduersantibus Concilio, & Pontificū decretis, quod non decet de

Ecclesiæ lumine sentire.

SECVNDVS LOCVS.

§. IV.

1 Citatus locus est 3. p. q. 27. art. 2. in quo quærens, *vtrum Beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem?* Respondet negatiuè, & affirmat contagio Originalis peccati esse coinquinatam, aliter derogaret dignitati Christi. cuius verba recensita manent, & satis rationi illorum factũ: nũc tantùm superest, auctoritati respondere, & quamquàm in prima demonstratione apertus intellectus D. S. appareat sufficientèr, ampliùs ex eius verbis notum faciam.

Suppono id quod ibi dixi, D. S. loqui de Sãctificatione, quæ est mundatio à peccato Originali per gratiam, vt ipse expressis verbis asserit, dicens: *Sanctificatio, de qua loquimur non est, nisi emũdatio à peccato Originali*, & quòd hæc non possit esse, nisi post animationem, notum feci, & manifestum est, quia vt mundetur à peccato Originali quis, necessè est, illud contraxisse, & contrahere non potest, nisi persona naturæ humanæ ex Adamo propagata, quarè ante animationem non fuisse, & post animationem necessariò esse ex suppositione quòd sit, perspicuum est, nàm si nũc quæratur, an sanctificata potuerit esse Beata Virgo ante animationem, sanctificatione, quæ est mundatio à peccato Originali? dicendũ est, minimè posse, & si hac sanctificatione ponatur, sanctificatam fuisse, post animationem oportuit esse.

Sensus igitur D. S. est huiusmodi: quòd tali sanctificatione post animationem sanctificata fuit, si ea concedatur, sanctificatam esse, vt tunc temporis asserebant, qui à peccato Originali Beatam Virginem immunem fuisse propugnabant, contra quos D. S. arguens rationibus articuli de falsitate conuincit, quarè tantùm asserit, falsum esse, quòd tunc temporis dicebatur, nõ quid sen- 2

sentiendum docet, quòd & nunc afferendum est, ex cuius positione illa inconuenientia sequuntur, quia proptèr *quocumque modo intelligatur huiusmodi sanctificatio ante animationem, non esset per Christum*, quod verissimum est, & dupliciter intelligo; illud verbum, *quocumque modo intelligatur*. primò abstrahendo à possibili. cùm non sit possibile intelligi huiusmodi sanctificationem, quæ est mundatio à peccato Originali ante animationem, vt ostensum est, quarè sensus est, detur quod intelligatur possibilis, & fuisse, non esset per Christum, qui Redemptor est hominum tantùm, & ante animationem non est homo: secundò duplici modo, primò, vt dixi, quia potest anima in priori naturæ intelligi, quod sit sanctificata, antequam informet, quia priùs natura est esse, quàm informare, in quo sensu sequitur idem, secundò, & tangitur a D. S. art. hoc in 4. arg. videlicèt quòd embrio, siuè fœtus purgetur à contagio, ratione cuius in instanti animationis, in quo est natura completa, & indiuiduũ naturæ humanæ, non contrahatur Originalis culpa, & hoc modo intelligebant, vt plures volunt, & Dom. Caiet. sibi tẽpore illo, Beatam Virginẽ sanctificatam fuisse ante animationem, nam mundato à contagio fœtu, animam cum gratia creari oportebat, de qua sanctificatione idem est afferendum, quia Christus non fuit fœtus Redemptor 3. p. q. 27 art. 1. ad 3.

3. Nec huiusmodi purificatio esset mũdatio à peccato sed à via, siuè debito ad illud, quarè nec sanctificatio de qua loquebatur, posset nominari, quia hæc, cum nõ sit, nisi emundatio à peccato Originali; prærequirit subiectum capax peccati, & gratiæ: quod ante animationem minimè datur, quarè sanctificatio intelligi non potest, vt D. S. ibi.

Ex quo consequenter cõcludit articuli corpus, *vndè relinquitur, quòd sanctificatio Beatæ Virginis fuerit post eius ani-*

animationem, quia talis sanctificatio, videlicet mundatio à peccato Originali in persona, nec ante animationem, quia non est creatura rationalis, nec in instanti animationis est dabilis, quia in ipso est contrahendum peccatum, vt ab eo per gratiam mundari possit; peccatum autem, & gratia, & mutatio à peccato in gratiam in eodem subiecto, & eodem instanti compati, non est possibile: vndè relinquitur, quòd fuerit post animationem, dato quòd sanctificata sit, vt ponebatur, sanctificatione, quæ non est, nisi emundatio à peccato Originali, de qua, & non de alia, loquebatur: tantùm enim intendebat de falsitate conuincere eos qui Beatam Virginem tali Sanctificatione sanctificatã fuisse ante animationem, asserebant, fortè quia alius eis nõ innotuit modus, vt Conceptionem Sanctam defenderent, quam D. S. nec nomine voluit, ne videretur de ea aliquid resoluere, sed dumtaxàt illud esse falsum, non quid tenendum, quia nil de Conceptionis Sanctitate voluit pertractare, cum Augustino dicente: *cùm de peccatis agitur, nullam de Beata Maria volumus fieri mentionem*, quarè nec in titulo, nec in corpore articuli inuenitur verbum *Conceptio*, nec aliud, quòd ad illam conducat: ergo noluit de Conceptionis Sanctitate proferre sententiam, & si ante ipsum exorta esset disputatio, nec sine Patrono, suo in tempore; vt 3. arg. & quotl. 6. cit. probat.

4 Cur, quæro, de Conceptionis instanti non interrogat, an fuerit Sancta Mater, cùm ibi q. 24. art. 1. quærat de Filio, *vtrum in primo instanti Conceptionis Christus fuerit sanctificatus per gratiam?* Cũ hoc sit certum, & de Matre dubium, ipse q. 7. art. 9. determinatum habuisset ex vi Vnionis Hypostaticæ in eodem instanti Christum accepisse, vndè minùs necessaria censetur inquisitio, cùm ibi resoluta iam esset, quòd ad dubitandum compellebat de Conceptionis Matris puritate ratio, cùm minùs esset satis, nec tantum Do-

torem decebat de Sanctificatione Beatæ Virginis agentem ex instituto articulum de primo instanti animationis prætermittere, qua ratione non prætermisit de Christo, & si certum, & determinatum esset ab ipso? Doctoris namq; est inquirere quicquid in dubium potest verti, seu disputari conuenit ad materiæ integritatē referēs, & tenēdum resoluere, quod & ipse in cunctis, quæ pertractauit, impleuit; quamquam nondum nemo incepisset dubitare, si indubitata ex munere disputationi dedit, dubitabilia, vt fecit, potiori iure dare teneretur. Si in 3. dist. 3, q. 1. art. 1. ad 2. q. postquam affirmauit, quòd Beata Virgo ante animationem non fuerit sanctificata, prosequitur his verbis, *sed nec in ipso instanti infusionis animæ, vt scilicet per gratiam tunc sibi infusam conseruaretur, ne culpam Originalem incurreret, quia non indigeret Redemptione, &c.* qua ratione in hoc art. & in alijs 3. p omisit de primò instanti animationis, non tantùm disputationem continere, sed & nominare? nisi quia noluit sententiam declarare propriam.

Vt autem nil maneat insolutum, hunc citatum locum sic intelligo: quòd si gratia infunderetur Virgini in primo instanti animationis, eo modo quo infusa fuit Adamo in primo suæ creationis instanti, non indigeret Redemptione; non verò, si collata esset ex vi Redemptionis in Adamo, vt Capite.

Ex D. S. silentio in hac 3. p. infero, piam sententiam esse suam, quam noluit tradere, eò quòd in Mysterijs gratiæ non formaliter reuellatis, Ecclesiæ expectanda est determinatio, vt credatur, vel fidelium communis assensus, vt affirmaretur; quorum neutrum tunc aderat, nam etsi habeantur rationes, & loca in his tradendis, obedientia, non proprio iudicio gubernari tenemur, quia non est nostrum, illud scire, sed proponente Ecclesia, credere, & stante communi fidelium assensu, posse disputari, & parti cui Ecclesia-

clesiæ fauet, adhærere, vt nunc accidit, non tunc, tantũ namq; licebat præbere principia, vt ex illis inferretur tempore habili conclusio, vt fecit, qua ratione credam consultò non omisisse, quod ordo rationis, & disputationis series, indagari postulabat? Si enim in peccato cõceptam Beatam Virginem arbitraretur, cùm plausibilior illis temporibus esset sententia, articulum institueret, in quo suam manifestaret mentem, fecit in 3. dist. 3. q. 1. art. 1. ergo in quo tacet, fauet, & in quo loquitur, non aduersatur.

6 Deindè huius tempestatis dissidium est de primò In stanti animationis, an in eo sanctificata fuerit Beata Virgo: piè sentientes affirmant; rigorosè opinantes negant. D. S. nihil agit secundùm ipsos maximè D. Caietanũ in hoc art. qui acerrimus est pro rigorosa sententia: ergo non esse pro se, fateri tenentur, qui namquè de aliquo non agit, nil de illo affirmat, vel negat: ergo in primo instanti animationis fuerit ne in peccato, vel Sancta Beata Virgo, D. S non dixit.

Quod autem D. Caietanus hoc in loco ait, quòd *tempore D. S. hæc opinio non erat adinuenta* quæ asserit in primo instanti animationis Sanctificatam fuisse, maximè iuuat intentum nostrũ. Nam si non erat adinuenta, & ideò vt ipse D. Caietanus vult, de illa D. S. non disputauit, nescio quo fundamento ductus, eum sibi in hoc art. constituit Ducem: oppositum est consequentia necessaria ad hominẽ, in hac forma. D. S. per te de primo instanti animationis, an fuerit, nec ne sanctificata, nil agit; sed controuersia præsens est, an primo in instanti animationis fuerit sanctificata: ergo de eo quod est controuersia præsens, nil D. S. agit: ergo nec affirmat, nec negat: sine causa ergo adducitur in hoc art. pro rigorosa sententia. 7

Venia tamen D. Caietani ex ipso D. S. conuincitur tempore eius opinionẽ, Beatam Virginem in primo instanti animationis Sanctam fuisse 8

fuisse asserentem, increbuisse, nam resp. ad 3. huius art. toleratum esse ab Ecclesia, quòd aliquæ Ecclesiæ celebrent Conceptionem Dominæ nostræ, nec totaliter esse reprobandum, affirmat; sed hoc nõ potuit dicere de Sanctificatione ante animationem, quia inintelligibilem reputat, ac perindè nõ tantùm falsam, sed chimæricam; at de falso, & chimærico nõ potuit affirmare esse toleratum ab Ecclesia, & nõ totaliter reprobandum, illud celebrare: ergo de ea Sanctificatione Conceptionis, quæ possibilis, & probabilis est, intelligi oportet; at hæc est in primo instanti animationis: ergo hanc intellexit, & opinabilis erat tunc.

Insuper, quia in 1. dist. 44 q. 1. art. 3. ad 3. asserit, Beatam Virginem non contraxisse peccatum Originale; sed non potest intellgi de emundatione à peccato ante animationem: cùm hanc impossibilem probet in hoc art. ergo de primo instanti animationis, in quo possibilis fuit, & probabilẽ reputauit, quam tantùm negat in 3. dist. 3. quæst. 1, art. 1. ob inconueniens extrinsecum: ergo si in 1. concedit, & in 3. negat, opinio illo in tempore controuertebatur, & vtrãque partem sibi probabilem habebat.

9 Ego autem aliter existimo, nimirùm Doct. Sanct. in hoc artic. data hypotesi illius Sanctificationis, non absolutè asserere, in primo instanti animationis incurrisse culpam Originalis peccati; non formaliter his verbis; sed æquiualenter; immò hoc supponere: nàm ratio eius est huiusmodi. Sanctificatio, quæ non est, nisi mundatio à peccato Originali, supponit creaturam rationalem in peccato Originali, vt ab eo possit mundari: ergo nec ante animationem, quia non erat creatura rationalis, nec in instanti animationis, quia non præexisteret peccatum; potuit tali sanctificatione sanctificari: ergo post animationẽ: nam si, vt necessè est, peccatum præcedere talem San-

ctificationem hoc in primo instanti animationis incurritur, quarè superfluum videbatur, illud exprimere: vndè in suppositione præiacta consequentèr loquitur, & nihil prætermisit.

Nec contemnenda est cō
10 sideratio, quòd D. S. noluit expressè dicere, in primo instanti contraxisse maculam, ne imputaretur ei aliquando, saltèm apparenti fundamento in peccato conceptam Matrem Dei docuisse, Omnipotente, qui in lucem Ecclesiæ dedit illum, regēte manum; si enim tanta limitatione locutus, & verbum *primum instans, & Conceptio* non protulerit, rigorosæ sententiæ est factus Princeps, & habitus, quid si non suppressisset? quapropter piam sententiam credo suam, celare autem eam voluit, ne aliquod pusilli paterentur scādalum, quod & si passiuum, excusanda est occasio; ob quod vitandum, quamuis non sint facienda mala, quādoquè intermittenda sunt bona, vt ipse docet 2. 2. q. 43. art. 7. tunc enim pia sententia non erat communitèr accepta, ideò differanda, vt ipse citato loco docet, sicut & fecit, vsquè ad tempus congruū, quale est præsens.

Animaduertere oportet,
quòd Sanctificationis nomē 11
apud D. S. non opponitur puritati Cōceptionis, quandoquidèm eo vtitur in Conceptione Christi Domini, dicens Sanctificatum esse in primo instanti Conceptionis q. 34. art. 1. vetitum autem est, quia nos illud restrinximus pro Sanctificatione, quæ est mundatio à peccato Originali, prout opponitur puritati Conceptionis, vt sup. sect. 2. §. 2. n. 10.

Opponitur, dixisse in resp. ad 3. quòd celebritas Conceptionis non est totaliter reprobāda: si enim esset sua sententia, minimè diceret: nam quod non est totaliter reprobandum, aliqua ratione reprobari oportet, nimis namquè durè esset, de propria opinione sentire.

Dico: *non talitèr* æquiua- 12
let *modo aliquo*, quia æquiualet suæ contradictoriæ, secūdùm logicam regulam, *Præ con-*

contradic, vndè dicere, non totaliter reprobanda, est dicere modo aliquo est reprobanda, quod fatendum est secundùm sensum improbatum in corpore, nàm celebrare Conceptionem Dominæ nostræ, prout ante animationem Sanctificatæ Sanctificatione, quæ est mundatio à peccato Originali, reprobandum est; non verò secũdùm aliàs rationes condignas, præcipuè quæ defenditur, & erat sua, secundùm quam non esse reprobandã, asserit illo verbo *non totalitèr*, quà temperatione introduci oportebat veritas huius Mysterij, quod & Scotus fecit, quamquàm suo tẽpore maiores haberet vires. Infr. sect. 4. §. 3. n. 4.

13 In hac resp. ad 3. iterùm ponderandum est, affirmasse, Ecclesiam ignorare, quo instanti Beata Virgo Sanctificata fuerit, ignorantia inquam, negatiua: ex quo infertur ipsum nihil determinare: præsumeret namquè scire, quod ipse, Ecclesiam iudicar & ignorare.

Quid intelligit, rogabis, D. S. cùm ait: *Sanctificatio, de qua loquimur, quæ non est, nisi mundatio à peccato Originali?*

Dico, restringit Sanctificationem, pro emundatione præcisè à peccato Originali; non pro alia formalitate, vel effectu Sanctificationis absolutè sumptæ: nàm si sumeretur, non conuinceret de falsitate per illa media, non posse esse ante animationem, & debere esse post illam.

Manifestat D. S. hoc art. non determinatè, puritatẽ Conceptionis negare, vt volunt, quia non vtitur Sacra, vel alicuius Patris auctoritate, quæ probet, in peccato Beatam Virginem esse cõceptam, cùm vix inueniatur articulus, cuius arg. sed contra, non sit auctoritas pro cõclusione corporis, & plures sunt, quibus poterat probare peccatum Originale incurrisse, vt sunt illæ, quibus Cõcil. Trident. sess. 5. suos confirmat Canones, & Patres non pauci peccatum Originale incurrisse, affirment: ergo tantùm intendit ostendere

re, ante animationem esse Sanctificatam, falsum esse, quod & in titulo inquirit.

Conclusio argu. sed cōtr.
14 non parùm iuuat, est enim hæc: *ergo etiam Beata Virgo non fuit Sanctificata, nisi post quàm cūcta eius perfecta sunt, scilicèt corpus, & anima*, vbi restringit cuncta eius ad cor pus, & animam, & cùm formalissimus sit, præscindit ab animatione, siuè vnione, sumens corpus, & animam diuisim, nàm per cuncta eius intelligenda erat vnio, siuè animatio, quæ est de principalibus, vti ratio compositi, & nè comprehenderetur, limitauit ad corpus, & animam, quæ animatione sunt priora, vt locum haberet, animationem esse cum Sanctificatione simul: anima enim, & corpus non est homo, nisi superueniat vnio.

Cur in argum. sed contr. noluit tradere conclusionē, quam in corp. docuit, restrictam scilicèt ad talem Sanctificationem?

15 Dico, quia nondùm, de qua Sanctificatione loquebatur, expresserat, conclusio erat absoluta, & sine limitatione ad aliquam, ideò non dixit, post animationē fuisse Sanctificatam, quia esset determinare contra propriam sententiam, & quam vocamus Piam, negare: sed consultò tantùm illa verba protulit, postquàm perfecta sūt corpus, & anima, vt nobis pateret via ad eius verum sensum aperiendum.

Testimonia Sacra in argum. sed contr. plurimum fauent, secundùm quod à D. S. ibi accipiūtur, ait enim quòd Tabernaculum significabat Beatam Virginem, vndè eius Sanctificationem Tabernaculi Sanctificatio, secundùm illud Psal. 45. *Sanctificauit Tabernaculū suum Altissimus*; & addit, vt probet, Tabernaculum significare Beatam Virginem, Ps. 18. *in Sole posuit Tabernaculum suum*, sed Tabernaculū illud Sanctificatum fuit, *post quàm omnia perfecta sunt*, Exod. 40. v. 32. ergo, &c.

Hæc omnia nostram ostē dunt sententiam: nam si Tabernaculum erat figura Beatæ Virgiuis, ipsa in exempla 16

ri.

ri, quod viderat Moyses in monte, repræsentaretur, de quo Exod. 26. v. 30. *erige Tabernaculum iuxta exemplar, quod tibi in Monte monstratū est*, quod repetit Apost. Hebræ. 8. v. 5. nàm si Tabernaculum illud manu factum erat figura Virginis, & ad instar exemplaris, in exemplari propriùs repræsentabatur Virgo; at exemplar in Monte non fuit, nisi præuia Sanctificatione Dei, cùm priùs cooperuisset Montem nubes Exod. 19. tunc autèm dicitur Tabernaculum manu factum sanctificatum, cùm postquàm perfectum fuit, nubes illud cooperuit, ita vt cooperiri, dicatur sanctificari: ergo antequàm exemplar esset ostensum Moysi ibi, vbi erat, quasi Originaliter formandum, Sanctificatio præueniebat; in quo satis monstratur in Origine Virginē esse redemptam, & in primo sui esse sanctificatā.

17 Dato tamèn, figuratam esse dumtaxàt in Tabernaculo manu facto, tantùm sequitur, sanctificatam nō esse ante animationem; non verò post, quarè D. S. solùm infert, quòd perfectis corpore, & anima, Sāctificata fuit, præcindens ab animatione.

Confirmatur, quòd D. S. ad ipsum locum Psal. 18. & Psal. 45. intelligit Tabernaculum Corpus Christi, & est cōmunis interpretatio, dicens: *Sāctificauit, non quia aliquando non fuerit Sanctus; sed quia in ipsa Conceptione Sanctum ipse formauit*: ergo non significat post aliquod esse Sanctificari, Sanctificatio Tabernaculi, secundùm D. S. data tantùm prioritatē naturæ, qua præcedit natura gratiam, secundùm quam dumtaxàt verificatur *postquam*, in hac materia.

Illud Psal. 18. *in Sole posuit Tabernaculum suum*, magis aperit D. S. mentem: vt ostendatur puram omninò, fuisse Beatam Virginem, ad nil enim deseruit hic locus, & superfluus censetur, posito illo Psal. 45. qui ad intentum referebat, hic verò minimè, maximè cū circa illū nullū verbum dicat, exponensque Psalmum eundem 18. in hoc versu ait: *Taberna-* 18

naculum, id est, corpus suum posuit in Sole, id est, in Beata Virgine, quæ nullam habuit obscuritatem peccati Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, quod & necessarium facit assertum nostrum ex suppositione huius interpraetationis, quod Beata Virgo intelligatur Sol, vt communis est sensus, nam peccatam est macula, *& macula peccati est defectus nitoris, propter recessum à lumine rationis, vel diuinæ legis*, sic D.S. 1. 2. q. 86. art. 2. in C. sed Soli repugnat à lumine recedere, cùm sit per essentiam lucidus, ergo si maculam Originalem habuisset Beata Virgo, Sol esse figuraliter non posset.

19 Quòd si dicas, cõstructionem fieri debere transitiuam, hoc est, Beatam Virginem esse Tabernaculum positum in Sole, qui vel est ipse Deus, vel plenitudo gratiæ.

Esto hoc, idem sequitur: quia quomodocunquè sit aliquid in Sole, non cõpatitur esse cũ macula peccati, sicut quod est in Sole cũ defectu nitoris, & luminis recessu: qui si significet Deum, in eo cũ peccato nihil potest poni; si plenitudinem gratiç, cum ea debeat esse, vt nominetur Sol, cui repugnat esse cum macula peccati, eadẽ est ratio: cùm autem ponere, sit ipsum facere, quia ponere effectũ, est ipsum producere, in primo sui esse sine macula fuit, quandoquidem in Sole, qui omnem excludit maculam, fieri dicitur: ergo sine macula concipi, ex hoc loco necessaria est illatio: quid clarius? & quid obscurius, quod in Sole fiat tenebrosum? in lucẽ, & in tenebris contradicit: ergo & concipi in peccato, & poni in Sole, qui plenitudinem significat gratiæ, si Sol est gratia, quæ in gratia, quomodo in peccato facta est? Non est Scripturæ locus, qui conuincat sine peccato conceptam: esse efficaciùs hoc, ad quod credo à D.S. adduci, non enim eum incompossibilitas Solis cum macula laterè potuit: ergo exponens pro Beata Virgine Taber-

culum

naculum positum in Sole, sine macula Originalis, & actuali Beatam Virginem fuisse, nos virtualiter docuit.

20 Mirabili metaphora idē Psal 45. hanc significat veritatem: *fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei, Sanctificauit Tabernaculum suū Altissimus*: plenitudinem namquè gratiæ denotat Flumē, sic D. S. in hoc Psal. nam cū aqua interpretetur gratia, & flumē aquam sine termino, quia semper fluit, & nunquam deest, magis ac magis, plenitudinem importat, & quia flumen dicitur, absque vocabulo proprio, vel limitatione, illud est, quod maximè est tale, ideò maxima gratiæ plenitudo, influxu tamē impetuoso, quasi valida inuasione fluens. *Ciuitatem Dei*, Ecclesiam scilicèt lætificans, quia hoc im petu fluminis *Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus*, quasi diceret: plenitudinem gratiæ, summa velocitate, & fortitudinis inuasione Sanctificare Dei Matrē, ex quo lætificatur Ecclesia, vt experientia testatur, festiuis demonstrationibus exūdans: ergo in primo animationis instanti, aliter non summa velocitate inuaderet, nec impetu Sanctificaret, si peccatum præcedere pateretur, non enim aliqua specialis lætificandi Ecclesiam, inueniretur causa, vt fateri oportet; & verba Psal exposcunt, iuxta S. Vincent. Ferr. serm. de Concept. §. *sextus gradus*.

TERTIVS LOCVS.

§. V.

RESponsio ad 2. eiusdē 2. art. difficilis videtur: erat namquè argumentum formatum ex auctoritate S. Anselmi, iterum repetita dicentis: *ea puritate nitere Beatam Virginē, qua maior sub Deo intelligi nequit*, ex quo inferebat: *ergo hoc ei præstitum fuit, vt antequàm animaretur, caro eius sanctificaretur*. Cui respondet: *quòd si nunquàm anima Beatæ Virginis fuisset macula Originalis peccati coinquinata, hoc derogaret dignitati* 1

Christi, &c. de quo satis est dictum: intelligitur namquè ex vi Sanctificationis ante animationē de qua & quærit, & determinat, prosequiturque responsionē: *& ideò sub Christo qui saluari non indiguit, tanquàm vniuersalis Saluator, maxima fuit Beatæ Virginis puritas: nàm Christus nullo modo contraxit peccatum Originale, &c. sed Beata Virgo contraxit quidèm Originale peccatum, sed ab eo fuit mundata, antequàm ex vtero nasceretur.*

2 Hæc omnia debent accipi in sensu corp. art. quia solutiones omnes iuxta intellectum conclusionis sunt accipiendæ: quarè loquendo de Sanctificatione, quæ est mundatio à peccato Originali præcisè ante animationem, vera sunt omnia, non absolutè, & patet: quia puritas sanctitatis, cùm dicatur per recessum à peccato, etsi in vtero Sanctificata fuisset, non esset maior puritate Ieremiæ, & Baptistæ, qui in vtero Sanctificati fuerunt, nec ad rationem puritatis ponit Sanctificatio in vtero, sicut nec esse prius, vel posterius: quia puritatis ratio consistit in recessu à peccato, vndè maior puritas est à mortali, & veniali, quàm à mortali, vt ipse D.S. docet ibi art. 6. ad 1. vndè non esset maior puritas Beatæ Virginis, quā alicuius pueri decedentis cū Baptismo, vt voluit Scot. & maior esset Angelorū Beatorum puritas, qui nullo pacto peccato infecti sunt, si Beata Virgo Originale contraxisset: quòd si esse in vtero Sanctificatam, aliquid puritatis poneret, æqualis esset puritas Ieremiæ, & Baptistæ cū illa: ergo non est intelligendus D. S. nisi iuxta sensum corporis, vt ostenderet, falsum esse asserere, ante animationem Sanctificatam fuisse: ideoque, vt intelligeretur sub hac ratione, & limitatione loqui, adhibuit consequentiam illam in argumēto: *ergo hoc ei præstitum fuit, vt antequàm animaretur, caro eius Sanctificaretur:* quarè nec directè auctoritati Anselmi respondet, vt fecit in primo sent. quia parùm referebat ad probandam Sancti-

3 ctificationem ante animationem: nàm quacumque puritate data, non ideò esset Sanctificata ante animationem, quia nō ideò esset creatura rationalis, puritas maxima sub Christo ea est, vt talis sit perfectio gratiæ, vt petat, & habeat, quòd subiectum, cui confertur, nullo peccato inquinatum sit in aliqua differentia temporis, quia est puritas positiua, sicut est puritas actus in Deo ex infinita eius perfectione, non priuatiua, vt est puritas puerorum morientium cū Baptismo, & Angelorum: potuerunt namquè peccare actu, quia gratia eis collata hoc non impediebat, cùm non sit maior, quàm illorū, qui peccauerunt; puritas namquè positiua est in triplici gradu: supremus est Dei, cuius Sanctitati infinitæ ab intrinseco repugnat peccatum: secundus Christi Domini, cui ex gratia vnionis peccatum inesse nō potest: tertius est Beatæ Virginis, qui ex gratiæ plenitudine petit sine peccato subiectū; hæc autem est puritas positiua, quæ perfectio intrinseca est Sanctitatis, cuius tertium gradum concedit D. S. in 1. dist. 44. q. 1. art. 3. ad 3. Beatæ Virgini, ad hanc Anselmi auctoritatem respondens, de qua hîc nihil, tantumque adhibet solutionem, supposito, quòd agit de Sanctificatione, quæ est emundatio à peccato Originali ante animationem: in qua hypotesi necesse est, cōtraxisse peccatū Originale, & ab eo mundari in vtero, vt satis, superque ostensum est.

QVARTVS LOCVS.

§. VI.

Responsio ad 4. huius art. celebris est apud rigorosè opinantes, & videtur facere contra meam primam demonstrationem; argumentum erat, quòd poterat Beata Virgo sanctificari in suis Parentibus ante animationem. 1

Cui D. S. *duplicem esse Sāctificationem, vnam totius naturæ, qua absoluitur à culpa,*

& pœna, & hæc erit in Resurrectione; aliam personalem, quæ nō transit in prolem, quia talis Sanctificatio non est secundùm carnem, sed mentem, & ideò licet Parentes Beatæ Virginis fuerint mundati à peccato Originali, nihilominùs Beata Virgo peccatum Originale contraxit, cùm fuerit cōcepta, secundùm carnis concupiscentiā ex commixtione maris, & fœminæ. ergo absolutè, docet Beatam Virginem Originali inquinatam fuisse, cùm reddat rationem vniuersalem contrahendi illud in omnibus, quæ est cōcipi ex commixtione maris, & fœminæ, vt probat auctoritas Augustini ibi relata.

2 At satisfactio intelligitur eadem ratione, qua antecedenti loco: sensus enim est, quòd si Sanctificata fuit Sāctificatione, quæ precisè est mundatio à peccato Originali, illud contraxit, eò quòd debuit esse, quia concepta secundùm carnis concupiscentiam ex commixtione maris & fœminæ: nàm omnis, qui contrahit Originale, hac ratione, & non alia contrahit; loquitur autem absolutè, & non conditionaliter, suppositione facta in C. art. & eius conclusione, ad quam defendendam omnis solutio est adinuenta, & eius est confirmatio.

Obstat huic doctrinæ, quòd eadem 3.p.q.13.art. 7. in arg. sed contr. vt probet, quòd caro Christi fuit in Patribus obnoxia peccato, ait: *quòd Corpus Christi non refertur ad Adam, & alios Patres, nisi mediante corpore Beatæ Virginis, de qua carnem assumpsit; sed corpus Beatæ Virginis totum fuit in Originali peccato conceptum, vt dictum est*, & locus in margine citatus, in quo est dictū, est hic art. 2. q. 27. ergo tenet absolutè, esse conceptam in Originali, aliter nihil probaret: nàm si tantùm non esse ante animationem Sanctificatam, & ex suppositione talis Sanctificationis contraxisse peccatum affirmaret, nihil concluderet, & falso vteretur medio, cui ipse nō assentiret, ad inferendū carnem Christi in Patribus obnoxiam fuisse peccato: ergo tenen-

tenendum est, D. S. in hoc art. rigorosæ fuisse sententiæ.

Confirmatur, quia eadem 3.p.q.14.art.3.ad 1. inquit: *dicendum, quòd caro Virginis concepta fuit in Originali peccato*, vbi nil interrogatum erat de Sanctificatione illa, quæ non est, nisi mundatio à peccatio Originali, de qua tantùm intenditur, docuisse in hoc art. ergo non est cur negetur, D. S. tradidisse, Virginem Sanctissimam in Originali conceptam.

Dico: D. S. intelligendus est iuxta supradictum sensum in arg. sed contr. citato art. 7. q. 31. cuius ponderatio non eneruat vim nostræ sententiæ, tot rationibus efficacibus stabilitæ, quibus adstare oportet, & has ad illas reducere, quia sibi contradicere, non est opinandum: affirmat namquè, totum corpus Virginis in peccato cōceptum, secundùm huius art. sensum, ad quem probationem reducit, & ideò in margine citatur; nec impugnatio obstat, quia D. S. vtitur medio communitèr recepto, apto ad probandū intentum: non enim est necesse, quòd sit suū, sed aliorum, vt eos conuincat, quod, cui dissentior, vt quis probet, cui assentior, vti debet medio, nō quod admittit & nego: idem dicēdum ad secundum locū q.14.art.3. ad 1. Soluit enim cum doctrina illo in tempore, vt in plurimum recepta, qua conuenienter vtitur, vbi de aliqua ex instituto non agitur: si enim in hac q.27. & in hoc art. 2. formalitèr, & ex instituto de hac materia pertractauit, & id non dixit, cur censendum est, illis in locis de ea non agentem, asseruisse? Conformanda sunt illa verba huic articulo, & eius intellectui: ergo D. S. nullibi est cōtrarius, vt ex omnibus ante iactis est factū palàm: id verò, quod demonstrationi videtur obesse, quære sup. sect. 1. §. 4. n. 27.

Alia via explanatur mens D. S. locis sup.

§. VII.

DOct. Sanct. q. 33. art. 1. 1

quærit, *vtrum Corpus Christi fuerit formatum in primo instanti suæ Conceptionis?* & respondet: *dicendum, quòd in Conceptione Corporis Christi tria est considerare: primò quidem motum localem sanguinis ad locum generationis: secundò formationem corporis ex tali materia: tertiò autem augmẽtum, quo perducitur ad quantitatem perfectam, in quorum medio ratio Conceptionis consistit*, hoc est, in formatione corporis; excludit enim primum, & tertium, & de medio, siuè secundo ait: *sed ipsa formatio corporis, in qua ratio Cõceptionis consistit, fuit in instanti duplici ratione*, quam ibi assignat: primam ex infinitate virtutis Dei efficientis corpus: secundam ex condecentia Verbi assumentis illud.

Ex quibus infero, concipi aliquem, dici secundùm D. S cum eius in vtero formatur corpus, quia in hoc ratio consistit Conceptionis; cùm autem primò formatur corpus, nõn animatur, vt patet ex ipso ibi art. 2. ad 3. respõdente auctoritati Philosophi dicentis lib. 2. de Gen. animal. cap. 4. quòd corpus hominis, priùs est viuum, posteà animal, deindè homo, quod admittit D. S. in cæteris hominibus, præter Christum, rationibus ibi factis; nec erat rectum quærere in art. 2. huius q. 36. cit. *Vtrum Corpus Christi fuerit animatum in primo instanti suæ Conceptionis?* Si eo ipso, quòd formaretur, animaretur, determinato in primo art. quòd in primo instanti Cõceptionis formatum sit: & quamuis ad primum dicat, *quòd statim formato cuiuscumque hominis corpore, infunditur anima*, intelligitur formato in illa perfectione, & debita dispositione, quã anima petit, vt informare valeat, nimirũm postquàm est viuum animal, &c. vt ex ibi dictis constat, & omni Philosopho est notum.

2 Ergo apud D. S. Beatam Virginem concipi, est eius in vtero Matris formari corpus, non animari; quod in his duobus locis §. antecedẽtis vltimo citatis scilicèt 3. p. q. 31. art. 7. in arg. sed contr.

contra q. 14. art. 3. ad 1. relucet satis, in primo loco inquit: *totum corpus Beatæ Virginis fuit in Originali peccato conceptum*, de corpore tantùm loquitur, quod conceptũ est ante animationẽ, quia ante animationem est formatum, quod sic ostendo. Corpus est in peccato conceptum, est propositio vera; corpus contraxit peccatum Originale, est propositio falsa, quia contrahere peccatũ, dumtaxàt potest subiectum illius, quod est homo, secundùm animam: ergo de corpore, secundùm formalitèr concipi ante animationem intelligitur hic locus.

3 Secundus euidentiam facit, rogauerat in illo 3. art. *Vtrum Christus defectus corporales contraxerit?* & argumẽtũ erat, quòd Mater, à qua naturam acceperat, his defectibus subiacebat: ergo & ipse. Cui respondet, *quòd caro Virginis concepta fuit in Originali peccato, & ideò his defectibus subiacebat; sed caro Christi ex Virgine assumpsit naturam absque culpa.* Ecce loquens de carne Christi, naturã assumpsisse, ait sine culpa, vt intelligatur totã, quæ est subiectum peccati; absque peccato assũpsisse: quia hoc, quod est cum peccato esse, & sine peccato, propriè dicitur de natura, nõ de carne: & ideò de carne Christi loquens, ad naturam transiuit, vt absque peccato assumptam, posset propriè dicere; at quia de carne Virginis in peccato conceptam affirmauerat, de natura non fecit mentionem: & si materia postularet, quia defectus illi naturæ infectæ sunt, non carnis, ne intelligeretur de Virgine loqui; sed tantũ de carne; caro autèm Virginis non est ipsa Virgo.

Discrimen voluit declarare nobis in dicto art. 3. q. 14. quòd Christus secũdùm Augustinũ super illud Ioan. 3. *qui de sursum venit, super omnes est: de sursũ venit Christus, id est de altitudine naturæ humanæ, quam habuit ante peccatum primi hominis: accepit enim naturam humanã, absque peccato in illa puritate, in qua erat in statu innocentiæ*, quarè dicitur ab ipso, 4

quòd

quòd natura fuit ſanata in Chriſto, non quaſi in indiuiduo fuiſſet ægra, ſed natura, quæ in omnibus morbo laborabat, in ipſo ſana fuit, vti in Adamo ante peccatum: in Virgine verò non natura, ſed perſona in animatione fuit ſana, non in conceptione, in qua nec perſona erat, nam ante animationem non eſt perſona: quapropter defectus corporales contraxit, eſt enim hæc ſanitas perſonalis, ſanitas mentis, nō carnis, vt expreſsè D. S. hoc art. 2. q. 27. ad 4. qua propter ſubiacebat defectibus corporalibus naturæ lapſæ, vt eſt mors, labor, &c. non mentis, quæ rectificata omninò fuit ex plenitudine gratiæ, & eius perfectione, quā ſummam aſſerit Petrus Abbas Cellenſis lib. de panib. cap. 12. in fin. *priuilegio Filij ſui tota Deitatis gratia ſuperfuſa eſt Mater Dei.*

§ Quapropter dico, his duobus locis docet D.S. corpus, ſiuè carnem Beatæ Virginis in peccato eſſe conceptum, hoc eſt formatū, nō ipſam, quia concipi eſt, corpus formari ante animationē, tunc enim non eſt Beata Virgo, quo ſenſu accipiēdus eſt D. S. cùm aliquo in loco dixerit, Beatā Virginem in peccato fueſſe conceptam, conceptione ſcilicet eſſentialiter ſumpta, quæ eſt formatio corporis: vndè corpus concipi, ſiuè conceptionem eſſe in peccato, eſt ſecūdùm legem peccati per concupiſcentiam ex commixtione maris, & fœminæ concipi, ex quo contrahuntur defectus corporales; nec alio ſenſu poteſt verificari de corpore cōcipi in peccato, cùm ipſum nō ſit ſubiectum peccati: & falsū eſt dicere, corpus contraxiſſe peccatum: ergo cùm aſſerit D. S. corpus Beatæ Virginis eſſe conceptum in peccato, non aſſerit, illud habere, vel poteſt: benè igitur compatitur, & affirmare, corpus concipi in peccato, & negare illud habere.

Dices, hoc eſt contrahere debitum peccati, quod negatum eſt ſupra. Reſpō deo, debitum carnis peccati, concedo; mentis, nego: hoc eſt debi-

debitum naturæ, secundùm carnem, non personæ, videlicèt defectus naturæ ex peccato prouenientes in carnē, quarè est debitū carnis peccati, non peccati: quia peccatum refertur ad animam, quæ munda omninò fuit ex redemptione in Adamo, de quo satis. Quod intendit probare D.S. prædicto art. 7. q. 33. Carnem scilicèt Christi obnoxiam in Patribus fuisse peccato, ex corpore Virginis, eoquòd in peccato conceptum sit, infert conclusionem: quia caro Christi, vt quidam sine fundamēto voluerunt, non fuit distincta in illis à sua, vt ille ibi docet: ergo eadem ratione, qua dicitur caro Christi obnoxia peccato, dicitur corpus Virginis in peccato conceptū; quia ex hoc probatur illud, nec aliud intendebat D. S. nec faceret ad rem, sed ex eo quòd caro Christi obnoxia fuit peccato in Patribus, non sequitur Christum peccatum habuisse: ergo nec B. Virginē, eòquòd corpus eius in peccato fuerit conceptū, sed tantùm, quòd secūdùm legē peccati fuerit eius formatio, ex quo contraxit defectus corporales naturę debito, quos Christus Dominus, quia eius caro nō secundùm legem peccati, hoc est ex commixtione maris, & fœminæ, non contraxit, voluntariè accepit, vt docet D. S. dicto art. 3. q. 14.

6 Vbi animaduertēdum ex sententia huius art. 3. citat. Virginē tantùm contraxisse defectus illos naturæ, quos Dominus voluntariè suscepit; hi autèm dumtaxàt fuerunt corporales, qui mentis, & animi defectum non indicant, quales sūnt dolores, labores, mors, & indigentia rerum, quo maximè ostenditur, Virginem non contraxisse peccatum Originale, ex magnitudine perfectionis gratiæ rectificantis animam, quandoquidèm libera extitit ab illius contagio, quod non opponitur defectibus carnis.

Cur lex peccati est, concipi per commixtionem maris, & fœminæ? Dico, quòd peccatū Originale est Adæ, vt capitis, qui origo est omnium,

nium, quarè lex est, in omnes posteros deriuari peccatum per viri semen: quapropter Conceptio, in qua non interuenit semen viri, non est secundùm legem peccati, & ideò nec in peccato, vndè conceptio Christi non fuit in peccato; Conceptio verò Virginis, id est, formatio corporis eius, in peccato fuit, per commixtionē maris, & fœminæ, à quo, quia in Adamo liberata erat, immunis in animatione gratia ei infusa creditur.

Obstat communis dicendi modus piè sentientium, nempè esse conceptam sine peccato.

7 Respondeo, quòd à communi modo loquendi non est recedendum; ideò asserendum sine peccato esse cōceptam; nec hoc contradicit dictis, quia Conceptio secundùm D. S. ibi, sumitur dupliciter: integralitèr, secundùm tria ibi tradita: & essentialiter, secundùm formationem corporis præcisè: piè sentientes integralitèr accipiunt Conceptionē, quia accipiunt eam, prout importat animationem, antequàm nō est possibilis gratiæ infusio, nec aliud dicere volunt; essentialis autem, quæ est formatio corporis, intelligitur apud D. S. qui formalissimus est, cùm de Conceptione loquitur.

Insurgit dubium, eò quòd dixerim sect. 1. §. 7. rat. 1. Beatam Virginem sanam fuisse in natura, eò quòd intret confectionem medicinæ naturæ; nunc autem dictum est, Personam esse sanam, & naturam corruptam: ergo vel hoc, vel illud non est verum; sed hoc non potest negari: ergo illud est falsum.

Respondeo, quòd debere non esse morbidam naturā, ibi dixi morbo, pro quo medendo medicina, Christus scilicèt, parabatur; qui erat Originalis culpa, non corruptio, nec alij defectus, quos ille sanare non venit, & natura ex peccato contraxit, & patimur, quamuis ab Originali Baptismo liberemur per Christum.

Esto D.S. rigorosè sensisse, non est habendus contrarius.

§. VIII.

ET si D.S. absolutè docuerit, Beatam Virginem incurrisse maculam Originalis culpæ, intelligendus est secundùm naturæ corruptæ legem promulgatam à Deo, videlicèt, quòd omnis, qui per concupiscentiam carnis excommixtione maris, & fœminæ fuerit generatus, Originalē contrahat maculam, quem sensum satis fecit notum 3. p.q.27. art.2. ad 4. dicens: *Beata Virgo contraxit peccatum Originale, cùm fuerit concepta secundùm carnis concupiscentiam ex commixtione maris, & fœminæ*, quasi diceret, secundùm huiusmodi legem peccatum Originale contraxit, quod semper erit verùm, & si diffiniatur, purā fuisse Conceptionem: vti semper est verum secundū ordinem naturæ, Lazarus non resurget, nec secundùm eundem surrexit: lex enim naturæ est, pòst mortem iterùm non viuere, quia *à privatione ad habitum non est regressus*, & tamèn Lazarum surrexisse, fide fatemur, non secundùm legem naturæ, sed Omnipotentis Dei voluntatem, qui ideò legem non soluit, sed præter, vel supra illam facit, quarè legis veritas indefectibilis subsistit: de alio iudicare, est Ecclesiæ, hic est Beati Bernardi sensus epist. ad Canon. Lugd. vt testantur eius finalia verba, prohibet celebritatem; seu publicum iudicium, non proprium pium, cuius erat, patet serm. 13. in Cœn. Dom. *Non est in filijs hominum magnus, vel paruus, tanta præditus Sanctitate, nec tantæ Religionis priuilegiatus honore, qui non in peccatis fuerit cōceptus, præter Matrem Immaculati, peccatum non facientis, sed peccata Mūdi tollentis.* 2

Prætereà D. S. est communis Magister, ideoque in rebus, quæ rationē naturalē transcendunt, vt sunt Mysteria

steria gratiæ, non secundùm scientiam priuatam, sed publicam, debuit ferre iudicium, quod semper erit verum, & si oppositum posteà manifestetur esse, scientia publica desumitur ex communitèr recensita fama, & testium testimonio, testes, sunt Doctores affirmantes peccatum contraxisse, fama est communior acceptio, vt illo in tẽpore erat, & quamuis essent aliqui oppositum asserentes, qui contrarij testes existimantur, & quædã Ecclesiæ aliter opinantes, cũ iuxta allegata, & probata iudicandum sit, vt ipse docuit, & illud probatum censeatur, quod à pluribus contestatum est, & cuius fama maior apparet, Beatam Virginem peccatum contraxisse Originale, dicens, rectum tulit iudicium, iuxta allegata, & probata, tũc temporis, quod in hoc sensu semper est verum, quamquàm puritas Conceptionis Fide diffiniatur, detur diffinita, erit verum, quòd illa sententia vera est, & legitima, secundũ probationes, licèt ipse oppositum tenuerit, vt iudex qui scit, Petrum innocentem, & probatur nocens, ex vi probationis damnans illũ morte, & executioni mandans sententiam, verum, & legitimum iudicium fecit, rectumquè; rectum autem iudicium, verum necesse est esse, & debitum falsum esse non potest, quia ad falsitatem nemo tenetur, maximè actu meritorio, vt est sententia illa, posteà patefit veritas; nũquid dicetur falsa sententia? Minimè, semper enim est vera, & iusta, ex iuris ordine, veritate practica, vt dicunt Theologi, simile est dicendum, esto quòd D.S. docuerit, Beatam Virginẽ peccato Originali inquinatam fuisse obsolutè, quibus huc vsque D.S. rigorosè sentire, tenentibus apperitur ad egressum ostium.

Sunt qui dicant, vt propria sententia habeant S.D. à Nostratibus vnum huius quæstionis furatum esse articulum, in quo quæsitum erat, vtrum Beata Virgo in primo instanti animationis Sanctificata fuisset, & affir- 3

mati-

matiuè erat responsum, mouentur, quia in primo art. interrogauit de Sanctificatione post animationem; & in secundo ante animationem: ergo inquirere debuit de primo animationis instanti, quod prætermisisse, nón creditur: ergo hic art. deest.

Infirmum fundamētum, vt ostensum est supra: nàm in sensu, quo quærit de Sanctificatione ante animationem, in primo instanti animationis contraxisse peccatum, supponit; dato tamen, rgo, si in secūdo art. docet, iuxta horum sententiam esse absolutè Sanctificatam, post animationem, ex quo per bonā consequentiam sequitur, non esse Sanctificatā in instanti animationis, quia post animationē idem pollet, quod post animationis instans, qua ratione posset in illo phantasiato art. affirmare in primo instanti animationis Sanctificatam fuisse, cùm non benè cohęreāt post animationem Sanctificari, & in primo instanti Sāctificari? Et hæc de sensu D. S. nemo enim potest negare probabile esse, non fuisse Pię sententiæ contrarium, quod sàt est, vt diffinitioni non obstet eius auctoritas: opinio namquè, quam probabile constituit, est vtriusque partis cōtradictionis, vt Philos. docet, quarè aduersatur nulli.

Dubitatur, qua ratione si D. S. non fuit rigorosæ sententiæ, tanto tempore cælatum est, ob cuius auctoritatem, quia pro rigorosa iudicabatur esse, existimatur cōmunitèr suspensam huius Mysterij diffinitionem.

Respondetur, quòd Deus 5
ad manifestandam auctoritatem, fidem, & honorem debitū D. S. id permiserit, nàm si rumor hoc fecit, quid testimonium faceret? Vt detur intelligi, qua reuerentia D. S. verba accipere tenemur, quandoquidèm Ecclasia suspendit iudiciū, quod ferè omnium corda fidelium deuotis desiderijs, & feruidis acclamationibus expostulant, ne videatur aduersus determinare, vsque dum ex eius mente veritas denuntietur, vel non aduer-

ſtri, ſit notum: proh dolor, infœlix temporis ſtatus, quilibet ei bellum indicit, liber tate conceſſa, formidabilis eſt illatio!

Opponuntur aliqua.

§. IX.

1 NIl, dicunt aliqui, refert ad ſanctitatē Virginis eſſe ſine peccato conceptam, quia Sanctitati non addit; poterat enim ſine peccato concipi in minima gratia: ergo nō eſt cur excipiatur à cōmuni lege.

Benè: ergo nec Sancta naſci ex vtero oportet fuiſſe, cùm parùm ad cumulum gratiæ hoc conducat, cùm potuerit minima gratia in vtero Sanctam eſſe, vt vult Scot. conceptam fuiſſe, in 3. diſt. 3. q. vnica vt infr. ſect. 4. §. 3. cur ergo creditur, Sāctam naſci?

Reſpondent, quia de alijs Sanctis hoc priuilegium Sacræ teſtantur litteræ, de Virgine prædicandum eſt, ſecūdùm D. S. 3. p. q. 27. art. 1.

Ergo ſi de alio nōn diceretur, negaretur de Beata Virgine: conſequentia bona, nam ſi ex eo ſolùm quòd de alijs dicitur, affirmatur, ſi non diceretur, negaretur: deſtructa cauſa, deſtruitur effectus; ſed non quia dicitur de alijs, Sancta naſcitur, ſed quia Sancta ante natiuitatem fuit: ergo falſùm in tali caſu affirmaretur: non enim ideò cōceſſum eſt hoc priuilegium Beatæ Virgini, quia Ieremiæ, & Baptiſtæ, quibus ſi denegatum fuiſſet, non ex eo Beata Virgo careret illo, quia nec de illis eſt dicendum conceſſum, quia ſcriptum, ſed è contra: cōducit namquè ad idoneitatem Matris, vt D. S. docet ibi: ergo ſi quod non apparet addere Sanctitati, quia eſt ſignum maioris, quamuis non plenitudinis ad Maternitatem condecens, fide fatemur præſtitum, quantò magis quod ad puritatem neceſſarium eſt, quia puritas in indiuiſibili conſiſtit, per receſſum ab omni peccato, ſicut actus purus ab omni potentia: non enim purū dici-

dicitur, quòd contrario, quã tùmuis minimo, inuenitur mixtum, quapropter nullũ ens, præter Deum dicitur actus purus, nec valet, quia omne, præter ipsum aliqua implicatur potentia, pura enim laudãda est Mater Dei, vndè in primo animationis instanti Sancta, sicut per totam vitam peccati expers.

2 Nec deest fundamentũ, vt aliquid his cõcedatur pro nostra positione, nàm primi Parentes in primo animationis instanti gratiam susceperunt, vt docet D. S. 1. part. q. 95. art. 1. & communiter omnes Theologi: ergo eadem ratione hoc priuilegium collatum Beatæ Virgini, afferendũ est: nàm hoc, quod est posteà Parẽtes peccasse, nil priuilegio adimit, vt si peccasset Ieremias, vel Baptista, non esset priuilegium sanctificationis in vtero minus, vel deterioratum in ratione priuilegij: poterat enim Eua dicere, priuilegio gaudere, denegato Matri Dei, & aliquo in tempore, ante peccatum scilicèt puriorem, siuè puram fuisse, non illã: inconueniens nã que omnes Sancti, & Patres censent, aliquem hominum prærogatiua gratiæ præcellere Beatam Virginem.

3 Monstratũ est, puritatem gratiæ, perfectionis esse effectum, vndè ad plenitudinẽ non parum conducere.

Ex quo infero, non rectè negari puritatem Cõceptionis, quia non inuenitur scriptum, vel alijs concessum, tum quia vt dictum est de Natiuitate, crederetur sancta, & si nulli esset præstitum ex dignitate Matris, ex qua conceditur, nõ peccasse mortalitèr, nec venialitèr, vt docet D. S. ibi art. 4. & si habeatur Psal. 115. *Omnis homo mendax*, & 1. Ioan. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, veritas in nobis non est*, & fomitem ligatum, vel extinctũ ibi art. 3. dicente Domino Gen. 8. *Sensus, & cogitatio cordis humani in malum prona sunt ab adolescentia sua*, eò quòd dignitatem Dei Genitricis deceat, & alia plura, quãquàm sine scriptura, vel exemplari: ergo, & si non sit scriptũ,

&

& scriptum inueniatur oppositum vniuersaliter, si iudicatur congruum, concedendum est Dei Matri: at puritas sanctitatis magis decet, vt ostensum est: ergo præstitam esse illi, est tenendum.

4 Obijcitur, quòd D. S. 3. p. q. 27. art. 6. loquens de sanctificatione in vtero, dixit: *nec est credendum, aliquos alios sanctificatos esse in vtero, de quibus mentionem Scriptura non facit: quia huiusmodi priuilegia gratiæ, quæ dantur aliquibus, præter communem legem, ordinãtur ad vtilitatem aliorum (secundùm illud 1. Corinth. 12. vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem) quæ nulla proueniret ex sanctificatione aliquorum ex vtero, nisi Ecclesiæ innotesceret*: ergo non est credendũ, quòd non esset scriptum, si Beata Virgo sine peccato fuisset concepta, vt vtilis esset Ecclesiæ notitia, maximè, quia cùm sit sine exemplari factum, indigebat testimonio: quæstio enim de facto sine testimonio nõ soluitur.

5 Respondetur, D. S. loqui regulariter: nam plura, quæ sunt de facto, sine scripto ex traditionibus creduntur, vt perpetua virginitas Dei Genitricis, & alia sine exemplari, nec omnia in Scriptura sunt posita, & si facta sint, vt pluribus in locis dicitur, & D. S. Gen. 43. notat, ibi enim Rubben dixit fratribus suis; *nunquid non dixi vobis, nolite peccare in Puerũ?* quod non inuenitur scriptum, vt patet cap. 37. & Psal. 113. *montes exultastis, sicut arietes*, in exitu Israel de Egipto, quod nõ refert Exodus, & apud Zachariam 14. fit mentio de terręmotu in diebus Ozię, de quo nihil in Regum historia: & Paulus 1. Corint. 15. narrans apparitiones Domini resurgentis, apparuisse, ait, plusquã quingentis fratribus, & Iacobo, quas apparitiones Euangelia prætermittunt, de quibus Spiritus Sãctus voluit, vt fieret relatio, ne intelligatur, omnia facta scripta, & si vtilia, vt sunt relata, ob occulta iudicia sua, dans locum inquisitioni, vt verificetur illud

illud Ecclesiast.3.v.11. *Cuncta fecit bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsq; ad finem.* At hæc, quæ de Beata Virgine dicuntur, non est simile, quia præter quam scriptum est, vt supra feci notum, virtualiter est dictum, cùm cōfitemur esse Matrem Dei, quo omne condecens affirmamus, vndè & nō peccasse, & alia sine exemplari, nec testimonio indubitanter tenemus: idem de puritate Conceptionis dico, de qua, nec de Beata Virgine loquitur ibi D.S. esset namque sibi contrarius.

6 Dubiū insurgit, cur disputationi reliquit Deus suę Matris maiora priuilegia gratiæ?

Respondeo, quòd nō disputationi, sed Fidei commēdata sunt: nam cùm Matrem Dei dicatur esse Luc. 1. & Math. 1. omnia alia, quæ inferuntur, credenda veniunt; minora enim sunt, & cui conceditur maius, conceditur minus, si adesse dignitatem, vel ornatum maioris conducit, vt Regi famulatus, & quæ ad splendorem Regiæ dignitatis, & magnitudinis spectant, non solùm necessaria, sed ad melius esse, quia meliùs in tanta sublimitate, necessarij sapit rationem: omnia autem sunt minora, quàm esse Matrem Dei, ad quod, cùm ex plenitudine gratiæ perueniat, omnis perfectio gratiæ debetur illi concedi: vndè & puritas omnimoda, nam aliqualis impuritas, vt fuisse in peccato cōceptam, verè dedecet.

Cùm Deus posset aliam filiam Adæ facere, vt conciperetur sine Originali, quæ non sit Mater eius: data, daretur alia mulier purior, quàm eius Mater, quod inconueniens est magnum: ergo bona est consequentia, quód sine peccato concepta sit. 7

Secundò dicēdum, quòd disputationi reliquit priuilegia gratiæ, vt magis fideliū deuotio exercita accenderetur, & in amorem, & fidem Beatæ Virginis inflammata

inqui-

inquireret laudes,& præconia, vt quasi ex iustitia debitrix aduocata hominum teneretur esse, quamuis de cō-filijs Dei non est inquirenda ratio,sed captiuanda nostra.

SECTIO. IV.

De Sanctorum sensu, & Doctorum, Quid sentiant Sancti.

§. I.

1 DE hac re plures plura dicunt, & possem, qui breuitatem curo, omittere tractatum, sed vt aliquos præcipuos vendicem, illum assumo, multitudinem congerit D. Caietanus opusc. tom. 2. tract. 1. cap. 5. ferè omnes obscurè loquuntur pro rigorosa.

Sit primus Diuus Augustinus, citatur Psal. 34. ad illa verba, *ego autem, cùm mihi molesti essent, induebar cilicio*, loquitur Christus Dominus, & quærens de cilicio, quo indutus sit, respondet: *esse carnem mortalem, siuè passibilem*, & inter ibi dicta, sunt hæc, *Maria ex Adam mortua propter peccatum, caro autem Domini mortua est, propter delenda peccata, hoc cilicio induit se Dominus*: ergo Beata Virgo peccatum Originale cōtraxit, quandoquidèm mortua est propter peccatum, secundùm mentem Augustini.

2 Et quamuis ipse dicat, *cū de peccatis agitur, nullam de Beata Virgine volumus fieri mentionem*, quod sufficeret, vt intelligeretur loqui non de peccato Virginis, sed de peccato Adæ, propter quod introducta fuit mors, tamen ex verbis præiactis hoc idē conuincitur, ait enim, *propter peccatum ex Adam Maria fuit mortua*, loquitur de morte naturali, quia de eadem

dem morte, qua mortuus est Christus, discrimine tantùm posito ex parte causæ, ita vt ex peccato Adæ mortua sit Beata Virgo, & ob delictum illud, Christus: quòd idem est, ac dicere, Beatam Virginem accepisse naturā subiectam defectibus corporalibus prouenientibus ex peccato Adæ, non autem ipsam contraxisse peccatum: nam quantumuis sit peccatum Originale extinctū, & gratiæ cumulo ornatus aliquis, Spiritu Sancto plenus, vt Baptista, non ideò his defectibus non subiacet, qui sequuntur carnem, non mentem; naturam, non Personā, quæ gratia est sana, vt docet D. S. supra citatis locis sect. antec. vbi de hac re per actum est: nō ergo sequitur, in peccato esse conceptam, ex contractione horum defectuum, sicut nec ex subiacere illis, non esse mundatā à peccato Originali: ergo D. Augustinus non fauet rigorosæ sententiæ, sed potiùs piæ, ex eo quòd nihil dicat aduersùs, tempore quo plausibilis erat rigorosa, satis suam declarans illis verbis, *cùm de peccatis agitur &c.*

3 Sit secundus D. Bernardus epis. 174. ad Can. Lugd. *de Conceptione Sāctæ Mariæ*, in qua eos reprehendit, eoquòd celebrent Conceptionem Dominæ nostræ, quos accusat de leuitate, & inter verba: *Virgo Regia falso non eget honore*, & alia æqualis cēsuræ, ex quibus inferunt, ipsum rigorosè sentire.

At, vt per contextum totius epistolæ manifestatur, domtaxàt celebritatem improbat, non expectata determinatione Ecclesiæ, vt par est: non enim licet celebritatem nouam instituere, sine illa, falsusque cultus est, & superstitio, vt ibi Sanctus tradit, quia verus honor, siuè cultus ab Ecclesia, siuè eius Capite dimanare oportet: veritas enim celebritatis in decreto Pontificis consistit, quia hoc est esse eius, sicut veritas rei in esse illius, nulli enim est datum celebrare, & festiuis celebritatibus colere Sanctū a i quem, & si Sanctus sit, & officium facere, non adhærente autori-

thoritate Pontificis: illi verò officium Cōceptionis instituentes induxerunt celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nesciebat: sic Bernardus, de quo eos arguit, & quamuis introducat rationes, quibus probare videtur, in peccato Virginem esse conceptam, eas ducit, vt ostendat rem non determinatam minimè esse colēdam, eoquòd oppositum si decernatur, falso cultus erit exhibitus, probant verba eius circa finem; *quænam iam erit festiuæ ratio Conceptionis: quo pacto inquàm, aut sanctus asseretur conceptus, qui de Spiritu Sancto non est, ne dicam, de peccato est*, ecce hoc non assere re, sed ob periculum determinationis proponere: *aut festus habebitur, qui minimè Sanctus est, libenter gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa induci videtur Sanctitas, alioquin nulla ei ratione placebit, contra Ecclesiæ ritum præsumpta nouitas, Mater temeritatis, Soror superstitionis, Filia leuitatis, nam si sic videbatur, consulenda erat priùs Apostolicæ Sedis authoritas*, hæc est cōclusio Epistolæ, ad quam tota dirigitur: ergo dumtaxàt intendit reprobare celebritatem nouam, non interueniente Apostolicæ Sedis authoritate; aliter ei adscribi poterat, Sedem Apostolicam colendi falsum, facultatem daturam sensisse, quod necessum esset dicere, si ipse falsum putaret, Beatam Virginem sine labe conceptam fuisse, & vt coleretur, consulendam esse Sedē Apostolicam monere, vt monuit: ergo non esse in peccato conceptam Beatam Virginem existimasse, est dicendum.

Quid autem ipse sentiat tradidit nobis serm. 13. in Cæna Domini, cuius verba, & si supra sint relata, hic repetenda censui, hæc enim sunt: *non est in filijs hominum magnus, vel paruus tanta prędítus sanctitate, nec tantæ Religionis priuilegiatus honore, qui non in peccatis fuerit conceptus præter Matrem immaculati peccatum non facientis, sed peccata Mūdi tollentis*: ergo D. Bernardus in Epistol. 4

præ-

præiacta non aduersatur piæ sententiæ, & eā docet serm. citat. nullusque clarioribus verbis: ergo pro pia est habendus.

5 Tertius sit S. Vincentius noster, quem pro se affert Caietanus non signato loco: legi tamen ipsum serm. de Concep. & videtur magis piæ adhærere, illo §. *sextus gradus*, in quo distinctionem ponit sanctificationis Virginis à sanctificatione Baptistæ, in eo quod formato corpore, & anima sanctificata fuerit, & cùm anteà dixerit, tantùm Conceptionem Virginis, & Christi celebrari in Ecclesia, Baptistæ verò Natiuitatem, inferri, licet in instanti animationis, in quo perfectum est corpus, & anima perfusā gratia fuisse ex mente illius; & hæc sufficiant de Sanctis pro rigorosa hucusque habitis, ne prolixior fiat discursus: etenim omnes pro pia, vel saltim nō aduersùs interpretari possunt.

Adducuntur Sancti piè sentientes.

§. II.

SVfficiāt Cœlites illi, qui maioribus donis, & charismatibus à Beata Virgine fuerunt inaurati, Bernardus, Dominicus, & Ildefonsus.

Bernardus quid senserit §. antec. ostensum est, piæ esse sententiæ.

Sanctus Pater noster Dominicus dilectissimus Beatæ Virginis sponsus, ita ipsa apud Beatum Alanum p.3. cap. 19. reuellauit huic Beato Viro sermonem, quem ipse prædicasse dixit apud Parisios, vt iterùm prædicaret hic nouus Virginis sponsus, sic vocitatur Alanus, super illa verba Lucæ 1. *ingressus Angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena, Dominus tecū, benedicta tu in mulieribus, &c.* ait enim ibi, *quid enim Aue est, nisi absque Væ omni Euæ*: ergo Beata Virgo prædicata fuit à Beato Dominico 1

absque væ omni Euæ; cùm autem væ sit interiectio significans malum execrabile, quid potest intelligi per væ distributum omne væ, scilicèt Euæ, nisi malũ omne, culpæ præcipuè, quod Eua introduxit? Ergo cùm hoc sit Originale peccatũ, absque eo fuisse Beatã Virginem, his verbis docetur, non mundata: tùm quia parùm laudis deferretur Virgini, cùm sit commune omnibus fidelibus, tùm quia nõ esset absque omni væ, cùm aliquod sit habuisse: ergo absque peccato conceptam Virginem fuisse, Beatus Pater Dominicus Alano reuellat, & iubet prædicare.

2 Sanctus Ildefonsus lib. de Virginis Sanctæ Mariæ laudibus, quod habetur Bibliot Pat. tom. 7. fol. 449. pag. 1. docet, ab Originali peccato immunem Beatam Virginẽ fuisse, & iterùm fol. 450. pag. 1. in princ. *prædicare oportet ab omni contagione primæ Originis, & confiteri alienam nullis coinquinatam sordibus, nullis vexatam cruciatibus*, & quamuis sint plures alij Patres idem docentes, quos Moderni, qui de hac materia scripsere referunt, & eorum sententias, hi mihi, & omnibus debent esse satis: nàm si aliqui illuminati de Beatæ Virginis prærogatiuis, & donis in Ecclesia inueniri creduntur, censentur hi potiori iure, quàm alteri; quos singularibus fauoribus, & beneficijs, præ cæteris ampliauit, Bernardum lactauit, lactauit Dominicũ, veste insigniuit Ildefonsum, & in solito more per Leocadiam commendauit grata, erga suas laudes Regina Cœli errare sinat? Non credam: ergo eis adhęrere, secura est via.

Quid sentiãt Doctores.

§. III.

NOmine, Doctores, intelligo Viros, qui scriptis mandarunt opera, auctoritate dignos. De quorum sententia longum esset peragere, etenim 4

vix

vix breui narratione nomina illorum, qui in pia iurãt, recenseri poterunt, ferè omnes huius sæculi Scriptores eam, vt obsequium Dei Matri Virgini præstent, tradũt docent, & defendunt, & si de alijs rebus pertractent, impleuerunt libros, eruditos satis, Ægidius de Præsentat. & P. Ferdinandus de Salazar, in quibus videri possunt nomina, & tractatus, si desiderentur.

Vt autem ex Nostratibus, ne videar primus, quod mihi esset gloriæ; at quia non mea, dabo cuidebetur, qui probabilem censent, qui absolutè defendũt, numerabo.

Probabile esse, Beatam Virginem, Genitricem Dei Mariam, sine peccato fuisse conceptam, afferit D. Caiet. tom. 2. opusc. tract. 1. cap. 5. & si oppositum defendat, Medina 3. p. q. 27. art. 2.

Mag. Can. de loc. lib. 7. cap. 3. conc. 4. pro vtraque parte affirmat, posse defendi, ad neutram declinans, efficacitèr probans non aduersari Sacro Scripturæ textui, vnum vel alterum excipere à cõmuni diuina lege, nam licet habeatur, *non videbit me homo, & viuet, Deum nemo vidit vnquam* qui Paulũ, & Moysem excepisset, non cõtradiceret Scripturæ: hæc ille. Mag. Soto, cap. 5. epist. ad Rom.

Eam defedunt Porretã. 3. p. q. 27. art. 2. & M. Ioan. à S. Thom. curs. Theolog. disp. 2. art. 2. & non esse aduersùs D. S. mentem, multis rationibus probant.

Vniuersitates insigniores ferè totius Ecclesiæ Cathedrales, Ciuitates, & aliæ Cõmunitatus plures voto se adstrinxerũt defendendi piam sententiam, quam fundamẽtis præiactis piam, non deuotione, sed Religione teneo.

Caueat tamèn Catholicus, ne affectu immoderato ductus dicat.

Primò, *quòd opinioni asserenti, Dei Genitricem sine peccato Originali esse conceptam, nõ posse subesse falsum*: etenim ex Sedis Apostolicæ decretis, sub opinione est adhuc, opinioni autẽ posse subesse falsum, conuenit ex sua essentia.

Oppo-

Oppones, me dixisse, & probasse, demonstrationem esse primam huius discursus rationem, & demonstrato non posse subesse falsum, est necessariò verum: ergo, &c.

Dico, demonstrationem esse in mea opinione: ego enim assero, talem esse mihi, &, vt arbitror, omnibus; puto tamen hoc posse defficere, quia non credo nimis iudicio meo, ideò vt alij iudicent, & Ecclesia corrigat, typis do.

Secundò, *quòd celebritas vniuersalis Conceptionis in Ecclesia collocauit sententiam piam inter veritates fidei, quã uis nõ sit definita de fide:* nàm quæ inter veritates fidei collocatur, fidei est, & eis annumeratur, & qui fide tenet, quod non est fidei, necesse est teneat, cum animo non obediendi contrario, & si diffiniatur ab Ecclesia, & hæreticus est, ita Sanchez 2. Decalog. cap. 7. n. 29 & alij.

Tertiò, *quòd hodiè pro defendenda puritate Conceptionis Dei Genitricis Mariæ moriens, verè subiret martyriũ.* Nàm pro eo quod non est fidei moriens, Martyr nõ potest esse, confessio enim dicto, vel facto, pro qua moritur, debet esse fidei, dicto vt fide determinatæ propositiones, & articuli, facto vt virtutis actus, qui fide habẽtur honesti, & eadem fatemur viciosi oppositi, ideoq; qui pro castitate moritur, Martyr euadit.

Tres propositiones præiactas damnatas à Paulo V. anno 1619. de mandato Supremi Senatus Inquisitionis in Regno Portugalliæ, vt tales publicatas fuisse affirmat Portel in dub. Regul. verb. *Conceptio.* n. 6. 4

Animaduertere volui, quid Scotus dicat de hac re, nõ vt gloriam adimam, sed vt veritas sciatur, ipse enim in 3. dist. 3. q. vnica quærit, *vtrũ Beata Virgo fuerit concepta in Originali peccato* & respondet: *ad quæstionem dico, quòd Deus potuit facere, quòd ipsa nunquam fuisset in peccato Originali; potuit etiam fecisse, vt tantùm in vno instanti esset in peccato: potuit etiam facere, vt per tempus ali*

quod

quod esset in peccato, & in vltimo instanti illius temporis purgaretur. & cōcludit, *quod autem horum trium,* (postquā vnumquodque explicauit) *quæ ostensa sunt esse possibilia, factum sit, Deus nouit:* optima resolutio, nemo oppositum tenebit, *si auctoritate Ecclesiæ vel auctoritati Scripturæ non repugnet; videtur probabile, quod excellētius est, attribuere Mariæ,* ecce nihil affirmat, quia conditionalis nil ponit in esse, & vt videatur probabile, id quod excellentius est, quod possumus diuinare, cùm ipse non audeat explicare, quid pro excellentiori intelligat, esse primum, scilicèt, nunquàm fuisse in peccato Originali, sub conditione, quam non resoluit datam, vel non datam, vt deberet Doctor proferre, cum pauore profert.

Primum autem illud ita limitatum declarat, vt dicat dumtaxàt, posse Deum tantam gratiam contulisse Beatæ Virgini in primo instanti animationis, quantam alicui in Baptismo, qua ab Originali mundatur, ideò & in Beata Virgine impediret cōtrahere illud, & de hoc affirmat cōditionaliter esse probabile, seu videri, quod minùs est, quàm esse, cumquè probabile, sicut opinio sit vtriusquè partis contradictionis; & concipi in Originali, non audeat absolutè affirmare, sed cōditionalitèr, nil de conditione determinans, nec de probabilitatis veritate adhuc sub conditione, sed dumtaxàt videri; oppositam non probabiliorē, sed ferè certam tenet, quia tantùm vni datur magis certitudinis, quantùm oppositæ minùs, nam inter concipi cum Originali, & concipi sine Originali, hoc non probabile esse, sed videri probabile afferit, nō absolutè, sed sub conditione: ergo concipi cum Originali, certū absolutè iudicauit; nàm si oppositum, quod est concipi cum Originali, certum ababsolutè non iudicasset, non esset de altero opposito, videlicèt, concipi sine Originali, tantùm videri sub cōditione probabile, formidolosum iudicium, nàm solū cer-

certitudo oppositi potest illud causare: ergo illis verbis magis adhæret rigorosæ, quàm piæ: ergo, &c. Quo titulo, seu iure sententia puritatem Conceptionis affirmans, sit Scoti vt Principis, quisque ex dictis iudicet.

Diuinum decretum de puritate Conceptionis Beatæ Virginis declaratur.

§. IV.

1 INtegritas huius discursus postulat ordinem Diuini Decreti, quo Beata Virgo redempta ex meritis Christi in Adamo, vt capite fuerit, vi cuius in primo animationis instanti in gratia per Christum concepta declarare.

Inuenerũt Moderni quædam signa rationis ordinata secũdùm priùs, & posterius vt hoc Mysterium explicẽt; at mihi confusionem, non ordinem; tenebras, non lucem pariunt: tum, quia vnũ per multitudinem nõ dignoscitur, sed è cõtra, cùm multitudo reguletur per vnum, tùm, quod est simul, non declaratur per priùs, & posterius, sed confunditur: quarè talia signa exulanda censeo, ea D.S. non cognouit: ergo ignorare est meliùs.

Dices poni, vt nostro modo intelligantur decreta Dei in ordine ad hoc Mysteriũ, prout ab eis constituitur, quod non repeto, quia non est huius discursus disputationes contexere, sed ostendere simpliciter veritatem.

Dico tamen, quód nil intelligitur in Deo, nisi per remotionem imperfectionis, qua propter, nec ex modo intelligendi concipi potest compositi ex genere, & differentia, eò quòd genus importat potentiam, & si sit rationis, sic D.S. 1.p.q.3.art.5. quarè nec priùs, & posteriùs ex modo concipiendi potest ei tribui, cum contradicat suo indiuisibili simul.

Si dicatur, signa illa suppositítia esse, vt possimus cum distinctione loqui.

Dico, veritatem ad sui in-

intel-

tellectum non indigere fictione.

Deniquè si Mysterium hoc meliùs, clariusque sine signis illis intelligitur, & declaratur, semouenda sunt, quod hoc ordine facio notum.

2 Deus sua scientia simplicis intelligentiæ cognoscit necessariò possibilia, res omnes, scilicèt actiones, combinationes earum, & modos, quibus singulæ possunt fieri. ita vt repræsentētur in Idæis eo ordine, & modo quo sũt, quandò fiunt, vel essent, si fierent, in singulis combinationibus possibilibus vnicuiq; secundùm esse idæaliter, ita vt illud esse, quod in re habet, quando fit realiter, sit in idæa idæaliter: vt cum domus in idæa artificis repræsentatur, antequàm fiat idæaliter, est eadem, quæ realiter quando fit; scientia namquè Dei est ars eius, cuius est cōponere essentias, indiuidua, operationes, & earum omnium combinationes possibiles per imitabilitatem essentiæ, quæ eius est regula; omnia tamen necessariò, quia compræhendit se, seu est compræhensiua sui, vt latè tradidi in discursu de auxilijs p.1.§.1.2. & 3.nondùm prælo mandato, vt in idæa horologij, repræsentantur artifici rotæ, cum suis motibus, illis scilicèt, quos haberent in re, si fierent, & 3
habent quandò fiunt, secundùm illam compositionē, cum velocitate, vel tarditate, ità vt possit, sicùt, & facit artifex, componere, & commensurare motus, secundũ horarũ diuisiones, ad æqualitatē cum motu Solis speculatiuè procedens, antequā velit facere horologium, nihilominùs idæaliter rotæ mouentur, eo modo, quo si essent in re fabricatæ; alitèr motus illarum non possit commensurari in idæa cum motu Solis, vt fit & est necessarium, vt regulatè, & determinatè procedat artifex ad opus, qui in idæa cognoscit, quòd talitèr compositæ & formatæ rotæ mouentur tali pondere talitèr; & alitèr compositæ, alitèr, in diuersis namquè combinationibus rotarum quælibet

habet diuersum motū, qui repræsentatur in idæa, eo modo quo est, quando fit, antequàm artifex velit facere; quòd si cognitio artificis esset comprehensiua artis, necessariò omnia, ad quæ ars posset pertingere, repræsentarentur in idæis eorum, quas necessariò formaret intellectus artificis. Idem pro-
4 portionalitèr loquendo dico de Deo, qui vna indiuisibili intellectione omnia possibilia cum suis operationibus in singulis combinationibus rerum simul actu in idæis cognoscit idæaliter obiecta; cum autem hoc vniuersum eo ordine, & modo, quo factum est, cum omnibus ad ipsum pertinentibus necessarijs, contingentibus, & liberis in esse, & operari secundùm singulas rerum combinationes in ordine naturali, & supernaturali, sit possibile quoddam, scientia simplicis intelligētiæ in idęa cognoscitur necessariò idæaliter præsens, quod Deo placuit, vnico simplici velle, quo illud decreuit facere, & fecit, eligens illud hoc ordine, & modo, ex omnibus modis, quibus possibile est fieri, quos sua simplicis intelligentiæ scientia idæauit, cognouit, & voluntati proposuit.

Tota enim hæc machina fuit ob manifestationem bonitatis Diuinæ per modum misericordiæ, & iustitiæ infinitæ, vt habetur sup. sect. 1. § 1. quarè in idęa repræsentabatur mundus hic materialis cum suis partibus, & ornamentis, homo in gratia formatus, qui in tali combinatione rerum constitutus, peccatum Capitis committebat, & maculando naturā, omnes fœdabat filios, Verbumque Diuinum eandem naturam assumens, à peccato liberabat illam omnibus modis, quibus possibilis erat fieri liberatio, assumebatq; naturam sine Patre ex Matre filia Adæ, in quo à peccato liberabat illam, eò quòd decebat, Matrem non maculari, ob eius dignitatem, propinquitatēque ad Deū, refertam plenitudine gratiæ, alijsque donis, & prærogatiuis, quibus ornari conuenie-

ueniebat: hæc, & alia omnia, quæ Deus fecit, facit, & est facturus, scientia simplicis intelligentiæ actu idæaliter, repræsentata, & cognita voluntati Diuinæ proponebantur simul; nec aliud est possibile: cùm omnis successio, vel vnum sine alio contradicat Diuinæ perfectioni, cunctaque simul voluit vnico indiuisibili actu, vt fierēt, & essent, non simul, sed secūdùm ordinem prioris, & posterioris, quo proponebat intellectus, quia potest velle simul, quòd vnum sit prius, & aliud posterius, sicut & cognoscere, nàm simultas in intellectu, & voluntate nō tollit priùs, & posteriùs in re, vt motus rotarū horologij in idęa, & voluntate artificis manifestat, & in idęa domus, quæ eam cum omnibus suis fundamentis, parietibus, pauimentis, tectis, & ornamentis repræsentat artifici, vt perfectionem suæ artis ostendat, & placet ei facere; simul repræsentantur intellectui, & voluntas simul vult omnia nō vt simul fiāt, sed suo ordine, prout natura vniuscuiusque, & artis regula petit: fundamentum priùs, & postea parietes &c. quis enim dicat, quòd vt intelligatur hoc ædificium fieri, distinguendi sunt per rationem actus, quo priùs velit fundamentum ab alio, quo posteà velit parietes, & quòd hæc distinctio sit claritas, & non confusio, quandoquidèm ipsa positio facit intelligi, quod non est, & non intelligi, quod est?

6 Quæro, supponēdo, quòd domificator ille voluit perfectionis artis facere demōstrationem in ornamento quodam, nō debito formæ, siuè naturæ domus, quarè ex gratia superaddito, quod & in idæa repræsentabatur, vt dixi, & eodem velle, voluit: quænam signa rationis sunt ponenda vt manifestetur hoc ædificium cum suo ex gratia ornamento, secundùm prius & posterius? Nulla; etenim confunderetur veritas, & intellectus non caperet verum, sine quibus clarescit totum: idem ergo cēsendum est de Conceptionis puritatis decreto, & Incarna-

nationis Verbi, quæ ex gratia ornamentum Mundi cũ sit, manifestat excellentiam artis diuinæ, in suæ bonitatis per modum misericordiæ, & iustitiæ communicatione.

Idem dicendum est, quãuis consideretur Deus volẽs finem, & media: non tantùm quia eius illectus proponit omnia simul; ita vt nec melius, nec aliter posset proponere, quarè voluntatẽ ferri, est necesse in finem, & media simul, tã ex parte actus, quàm ex parte obiecti, quia obiectum est id, quod intellectus format: tantùm namquè cognitum vult; sed in cognito Dei non fit distinctio: ergo neque in volito: sed etiam ex natura rei; quia finis respectu Dei est communicationis, non acquisitionis, vndè finis, & medium necessariò simul vnico indiuisibili actu vult, quoad nostrum intellectum, quia idẽ euenit nobis, vt impossibilis est efficax voluntas eleemosynæ, quin eodem actu velit pauperem; Deus autem ad extra vult communicare suam bonitatem creaturis, vndè in quolibet ordine, siuè negotio, vt sic dicam communicationis; non potest poni ordo prioris, & posterioris, rationis: quia est contra illam, sed simul omnia intelligi volita est necesse.

7 Cum quo stat, quòd vnũ fit proptèr aliud, vt docet D. S. 1. p. q. 19. art. 5. vt fundamentum in domo, proptèr parietum firmitatem; etenim ordinem inter se seruant omnia; quia sunt opus sapientiæ, & sapientiæ est ordinare, quæ in numero, pondere, & mensura vniuersa disponit. 8

Dices, quòd hac ratione, quia vnũ est proptèr aliud, & inter se ordinem seruant; sapientia disponente diuina, signa illa ponuntur, aliàs nec decreta, nec idææ multiplicarentur.

Dico, quòd plura decreta rectè cõsiderantur respectiuè ad plura obiacta, quæ talia sunt absolutè, & secundùm aliquem ordinem in genere volibilis, vt plures idææ, respectu rerum, quæ in genere intelligibili vnaquæque

quo habet suam intelligibilitatem, sine respectu ad aliam: vt homo, & leo quamuis respectu vniuersi habeât rationem partis, & intrent idæam illius, vt D. S. docet 1. p. q. 15. art. 2. similiter dicendum est de pluralitate in decretis, non de signis, secundùm priùs, & posteriùs, quia omnia simul sunt, non aliter, quàm si plures volūtates essent simul positæ: vult enim Deus, quòd vnum sit prius, & posterius alterum, & vnum fundamentum alterius; sed simul omnia, quia simul cognita, & proposita.

9 Quòd si ponatur artifex idæans domum cum omni perfectione, quam ædificandam tradidit idæaliter executori, qui repræsentatur errans, & maior suæ artis excellentia in reparatione defectus vidit idæaliter omne, vult facere illam permittens executorem errare, apparebit applicando exemplum materiæ, qualiter nec natura, nec gratia, nec permissio, nec peccatū, nec Redemptio copulatim, nec diuisim petunt intelligi priùs, nec posterius cognita, vel amata, sed necessariò simul: quia imperfectio est nostri intellectus, & voluntatis ex vno ad aliud processus, absit, quòd intelligamus aliquid cognitum, vel amatū priùs quocumq; signo, quia pro illo signo intelligitur cognitum, vel amatum, nō cognito, vel amato altero, cū prùs in suo conceptu formali hoc claudat: vndè imperfectio tribuitur Deo, quę Angelo repugnat.

10 Vidit igitur Deus sua sciētia simplicis intelligentiæ Mundum hunc in esse naturæ, & gratiæ Adamum peccantem in tali combinatione rerum, quia repræsentatur in idæa liberè operans, eo modo quo operaretur in re, si independenter à voluntate diuina posset operari, quia idæaliter nō dependet ab ea, & operatur ex vsu propriæ libertatis, quemadmodū mouetur horologij rota ex vi ponderis idæaliter absque dependentia voluntatis artificis, & si in re non possit esse sine illa, & per illam, vt causam, natura enim volunta-

luntatis est, vt proposito obiecto, necessariò vtatur libertate, hoc est, quòd velit, vel nolit, vel suspendat actum: non enim potest manere in actu primo indifferens, sicut antea, sine omni exercitio libertatis: quarè proposito in idæa obiecto, vtitiur idæaliter libertate, quod necessarium est idæari, cùm sit possibile ordinabile per sapientiam diuinam, ideoque ordinatum, quia sapientia nihil ordinare potest, quod nõ ordinet, quia cùm ordinare sit intelligere, esset aliquod intelligibile non intellectũ: cognoscit igitur Adamum peccantem, Christum redimentem ex Matre Virgine in Adamo redempta, sine peccato concepta, quia Mater, & reliqua, quæ suæ bonitatis manifestationem per modum misericordiæ, & iustitiæ in ordine naturæ, & gratiæ, ordinante sapientia, ostendebant, quod placuit extr aponere, & posuit permittente peccatum, & volente efficaciter reliqua, hoc est decretum putitatis Conceptionis Beatæ Virginis, & totius operis Dei ad extra.

Oppones, doctrina hæc aduersùs Thomisticam sonat: cùm affirmet, Deũ ante decretum suæ volutatis cognouisse Adamum in tali combinatione rerum peccantem, quod est cognoscere futurum conditionatum, & scientiam mediam dare, futurum enim conditionatum est ante decretum Diuinæ voluntatis, si Adam cõstituatur in tali ordine rerũ, peccabit, hoc ponitur: ergo, &c. 18

Respondeo, longè esse doctrinam ab ea quæ conditionatam scientiam in Deo cõcedit, minimeque futurum conditionatũ dari, sed quoddam verum absolutũ, idæaliter actuale, quod respectu esse in re est possibile, nam omnia, quæ fiunt, & possunt fieri in re, repræsentatur in idæis, eo modo, quo fiunt, & existunt in re, vel fierent, & existerent ante decretũ Diuinæ voluntatis, sicut ante voluntatem faciendi domũ repræsẽtatur in idæa eo modo, & ordine, quo fit, & existit, quando fit, & est facta, ita

ita vt in idæa sit facta, & existens idæaliter, vt vnuiquisque experitur in omnibus, de quibus cogitat à se sperandis, vel operabilibus, aliterm on esset idæa, vel domus non conformaretur illi, quod est contra rationem eius, & veritatis practicæ: etenim domus facta omnino debet esse ea, quæ in idæa repræsentabatur ante voluntatem, quia nil ponitur in domo, præter idæatum, si perfecta est idæa, vt Diuina: quare ante decretum diuinæ voluntatis repræsentabatur in idæa huius vniuersi Adam peccans in tali combinatione rerum pro sua libertate: quia non est diuersus Adam idæaliter, & in re, in esse, & operari, discrimine tantùm interiecto, quòd in re depen det à Diuina voluntate, idęa liter verò non, quia est opus intellectus Diuini anteuertens voluntatem, vt dixi de rotis horologij, quæ mouentur in idæa virtute ponderis, & artifex cõsiderat lapidem positum in fornice, & videt in idæa, quod pro suo pondere operatur, ex natura lapidis, & si lapis non sit in rerum natura, & faber ferrarius ignefactionem ferri virtute aëris impellentis ignẽ, idæaliter antequàm sit, non aliter quàm est, quando existit; hoc autem non est futurum, nec dicit aliquem ordinem ad esse, sed quoddã verum absolùtum existens idæaliter, quod potest ixiste re in re.

Ratio est nota, quia omnis ordo ad esse in re est à voluntate Diuina, qua præcisa, intelligi nõ potest, ideoque nulla futuritio ante decretum: quia futurum constituitur per ordinem ad esse, per quem transit de statu possibilitatis ad statum futuritionis, sit conditionatũ, sit absolutum, nam si futuritio absoluta est essentialiter à voluntate Diuina: ergo & conditionata erit ab ipsa sub conditione: nõ enim mutat naturam rei conditionalis, sed absolutũ accipi, quare est Logicalis regula, *conditionalis non mutat sensum suæ absolutæ*, vndè eadem erit ratio futuritionis in omni futuro conditionato, & abso- 12

absoluto, ordo scilicèt ad esse in re per voluntatem Diuinam.

13 Manifestum facit hoc ratio: futurum conditionatum dicit ordinem ad esse in re sub conditione, quem non dicit ipsum merum possibile: ergo habet causam sui, cùm sine illa non sit transire de statu possibilitatis ad statũ futuri conditionati, quod à possibili secernitur, quandoquidèm est obiectum distinctum potens terminare scientiam mediam, quam non potest possibile, & distinctio scientiæ Dei est quia obiecta distinguuntur, cùm ex parte scientiæ nulla sit, quid igitur quæso, fecit illud futurum conditionatũ, & distinctum à se ipso possibili? Et qua causa dicit illum ordinem sub conditione ad esse, quem non dicebat possibile? Non est alia, præter voluntatem Dei: ergo hæc, causa autem antecedit effectum, conditionatum verò præcedit voluntatem Dei: ergo non est intelligibile, vtpotè repugnantiam, & contradictionem inuolues.

Quis potest capere, quòd antequàm sit causa, & omnino exclusa, à qua essentialiter dependet effectus in esse, possit dici futurus, sub cõditione extrinseca, quæ nihil influit in ipsum? Rogo, si Petrus ponatur in tali ordine rerum, libere loquetur: potest ne esse verum, sublata à Petro voluntate, vel determinatione, siuè volitione eius? Non: ergo nec ante decretum voluntatis Diuinæ, cùm sit maior dependentia ab ea, quàm à propria Petri.

Hæc veritas, videlicèt, omnis ordo rerum ad esse, & prout abstrahit ab absoluto, & conditionato, secundùm quem res dicuntur futuræ, sit à voluntate Diuina præcisè, sine consortio alterius, notum feci in citato discursu pluribus rationibus, & auctoritatibus: nàm rem esse futuram certò, & infallibilitèr, præcisè prouenit à voluntate Diuina, non ab aliqua causa, quæ non sit ipsa, nulla enim causa potest facere rem certò futuram, sed præsentem, cùm tantùm sit causa in fieri; & conseruari, 14

non

non vt sit tali tempore, ante quàm sit, quia hoc est Dei munus: ergo antequàm res sit, in nulla causa habet certitudinem, vt dicatur fore quacumque conditione posita, Diuina voluntate præcisa; quia quod virtus effectiua non valet, conditio extrinseca non valebit: omnis namquè conditionalis de futuro, Diuina voluntate ex parte causæ non inclusa, impossibilis est; quia impos-
15 sibile est, Petrum loqui, Deo non concurrente: ergo si Petrus ponatur in tali ordine rerum, loquetur, ante decretũ Diuinæ voluntatis, quoddam impossibile prædicatur de Petro, & maius, quàm si supponatur, non habere potentiam loquendi: detur tamen, quòd sit possibilis, incerta erit, & fallibilis. Appono nam exempla in naturalibus, quæ maiorem ex se certitudinem habent, quàm libera, si ignis applicetur cõbustibili approximato, & disposito, comburet illud, incerta est, & fallibilis, quia potest impediri à frigefactiuo, vel madefaciẽte, & alijs modis, vt sæpè accidit; & quod magis est, si Sol oriatur, lucebit, quia potest impediri eclipsi, vel densis tenebris, & vt incerta sit, sufficit posse nõ esse: præterquã impossibile est simpliciter, nõ concurrente voluntate Dei, quarè dixi ibi, quod ante decretum falsum est dicere, quòd ignis comburet, & Sol lucebit conditionaliter, vel absolutè, sicùt falsum est illud affirmare de non habente virtutem comburẽdi, vel lucendi: vt si diceres, si lapis applicetur combustibili, cõburet, non est minùs falsum de habente virtutem comburendi ante decretum Dei, quia comburere sine illo, cuius effectus est, nõ est possibile.

17 Ex quo infero veritatem meæ positionis, quia cùm velle Dei sit facere, & volũtas non velit, nisi præcognitum, id quod facit, eo modo quo facit, præsupponit cognitum, vndè & Petrum operantem in tali combinatione rerum idæaliter, quia voluntas vult, Petrum operari in illa, & facit.

Dices: ergo erit verum, si Petrus ponatur in tali combinatione rerum, operabitur ante decretũ quia ante illud sua absoluta est vera; conditionalis autẽ nec sẽsum nec veritatem suæ absolutæ mutat, vt est Canon Logicus.

Dico; dixi, quòd in idæa non est futurum vllo pacto, quia hoc est ex vi Diuinæ voluntatis; detur tamen, non sequitur, quia de esse idæaliter ad esse in re non est transitus, nisi voluntate Diuina interueniente, à qua prouenit totus ordo ad esse: quarè conditionalis illa non esset illius absolutæ, quia mutatur status, & causa.

18 Quapropter assero, quòd vt sit absolutè futurum aliquod conditionatum, requitur decretum de conditione, & de re: vt dato, quòd Deus vellet ponere Petrũ in illa cũbinatione rerũ, & nil de operari decerneret, Petrus in ea esset positus, nõ tamẽ operaretur, & si in idæa operans esset, quia operatio illa, vt ponatur in re, indiget essentialiter voluntate Dei.

Rogabis, qua ratione possit intelligi, Petrum operari liberè antequàm operetur, & sit decretum Dei.

Respondeo, qua ratione potest repræsentari in idæa Petrus, qui talis est formaliter ex vnione animæ ad corpus, & vnio est contingens, anima & materià creata, & omnia à velle libero Dei: generatus à patre generatione libera, quam suppono esse peccaminosam, quæ omnia, & alia necesse est repræsentari in idæa, eò quòd sit cognitio illa perfecta, & cõprahensiua Petri, & formatiua omnium idæaliter? Vniuersa enim sunt effectus artis Diuinæ per intellectum idæata, per quem sunt actu in cognosci, ante decretum Diuinæ voluntatis, sicut per illud actu in re: hac igitur ratione repræsentatur Petrus actu liberè operans idæaliter, quia est artificium Dei, ipseque excercet suam libertatem idæaliter, vt dictum est, supposita intellectione Diuina, sicut in re supposita voluntate.

19 (margin)

Nec ex hoc sequitur, Deũ velle Petrum operari, quia 20

Pe-

Petrus operari vult, tum quia Deus vult antequàm Petrus velit in re, vult enim Deus, vt Petrus velit in re, quod cognouit velle idæaliter: tùm, quia Petrus vult operari id, quod Deus vult, vt operetur, quia vult Deus; nam cùm repræsentetur in omnibus combinationibus rerum possibilium in illo nunc, videt quod in illa cōbinatione operatur, & in alia non, & quia vult, vt operetur, decernit, quòd ponatur in illa cōbinatione, & quòd operetur; si autem vellet, ut non operaretur, constitueret illum, in qua videt non operari: quo fit, vt Petrus operetur, quia vult Deus, illū operari, & sit id, quod operari vult Petrus, & operaretur, si possibile esset operari ex vsu libertatis, non cōcurrente Deo: quod fit, & seruat Omnipotens, nō quia aliud non possit, sed quia aliud non vult: vult enim naturas, quas rebus præstitit seruare illæsas, perficere, & iuuare in cō naturali modo operandi, quem singulis contulit; etenim in idæa etiam repræsentatur in illa combinatione rerum; in qua Petrus est operans, sua Omnipotētia interueniente, & non operans mutando voluntatem Petri, nec violentiam infert, cū non sit natura rerum, nisi Diuina voluntas, sic Augustin. de Ciuit. Dei lib. 21. cap. 28. *voluntas tanti vtique Conditoris conditæ rei cuiusque natura est*, etenim maxima naturalis perfectio est, obedire Creatori.

Obiiciet quis, quod traditum est, esse quod Auctores scientiam mediam defensantes, docent; nomine tantùm diuersum.

Respondeo, vtinam sit, nam veritatem quærimus, non proprium sensum: fœlix discursus, si controuersiam sciētiæ mediæ sedaret.

Ad intentum iterum rogabis: detur quòd Deus nostro modo vellet, quænam intelligentia esset decreti puritatis Conceptionis?

21 Dico, hæc: Deus vult manifestare suam bonitatem per modum misericordiæ, & iustitiæ infinitæ, quæ est ratio motiua, & finis omniū

rerum, vt initio dixi; & vt ibi habetur, executio eius expulsio peccati per Incarnationem ipsius, & satisfactio per Passionem, quapropter vult creare hominem, & permittere peccatum, naturamque eius assumere ex Virgine, quã ob merita Filij, quia dignitas Matris hoc exposcit, vt nullo peccati contagio Originalis, vel actualis maculetur: liberare vult in ipso Adamo, vt Capite, vt exerceat hunc Redemptionis modum naturæ lapsæ. Quo supposito, si velit constituere signa rationis, in primo vult Deus manifestare suam bonitatem in misericordia, & iustitia infinita; in secundo creare hominẽ permittens illum peccare; in tertio assumere naturam huius hominis ex immaculata Virgine redempta per ipsum in Adamo, & ideò cõcepta sine peccato: in quo vltimo signo distinguenda sunt tria; in primo vult redimere genus humanũ omnibus modis, quibus possibile est fieri, eius Redẽptionẽ; in secundo assumere naturam humanam in carne passibili, in quo visa sunt eius merita passionis; in tertio, quòd hæc natura sit ex Virgine Matre, quam, vt sit idonea, redimit in Parente; vt capax sit plenitudinis gratiæ requisitæ ad Maternitatem, & in ea excellentior modus Redemptionis generis, scilicèt in Capite exercitus, siuè executus. Quæ dicta sint, ne videar negare signa, prætextu veritatis, vt aliquam difficultatem effugiam, sed verè valdè assimilatur nobis Deus positis signis, quamquàm ex parte nostri intellectus, non enim sic decet sentire de illo, relegentur igitur.

Opponitur, non posse intelligi decretum efficax Incarnationis Christi, & nõ ex tali Matre, vt probatum est, & fit notum, quia decretum efficax Incarnationis est ipsum incarnari; merita autem Christi non possunt intelligi, nisi præsupposito ipso, cum sint actiones eius, siuè passio, ipse autem patiens non potest concipi, nec intelligi esse, nisi præsupposita

sita

sita Matre: ergo merita nequeunt percipi, non antecedente Matre: ergo multò minùs effectus meritorum, qui est Redemptio, nam effectus sequitur causam: ergo cum peccato electa est Mater.

23 Respondeo hoc: sicut & alia argumenta, quæ possunt fieri, probant nostram veritatem, scilicet, quòd omnia sint simul, proposita volútati, & volita; at non est difficilis solutio, quia in secundo signo vult incarnari, siuè assumere carnem passibilē, non determinando modum an ex Patre, & Matre, nec ex qua Matre, in quo visa sunt merita Passionis; in sequenti veró Matrem redemptā in Adamo eligit Virginem, non vt sit in Adamo Mater, sed in Persona. Quod probatum est supra, non posse concipi decretum Incarnationis, nō concepta Virgine intrante illud, eò quòd sit efficax, & ponat Christum in re, est secundùm veritatem dictum, non secundùm huiusmodi signa, quæ ponunt in Deo decretum efficax abstrahens à circunstantijs obiecti, sine quibus impossibile est fieri; immò neque intelligi perfectè, nisi abstractiuè, quod non est dignum cogitare de Deo: etenim altiùs, quàm possumus, est existimandum, cōfundatur Fide illuminatus Catholicus audiēs Auctorē libri de causis, propos. 6. *Causa prima superior est omni narratione*, & postquàm in hanc veritatem mentem eleuat, prosequitur: *nec consequitur eam loquela, quod est, quia narratio non fit, nisi per loquelam, & loquela per intelligentiam, & intelligentia per cogitationem, & cogitatio per meditationē, & meditatio per sensum: causa autem Prima est supra res omnes, quoniam est causa eis; propter illud fit ergo, quod ipsa non cadit sub sensu, & meditatione, & cogitatione, & intelligentia, & loquela: non est ergo narrabilis*: ergo semouendum est à Deo quidquid est nostrum adhuc ex modo intelligendi, melius namquè est, nil intelligere, quàm humiliter de Deo cogitare, si enim Deus esset, qualis ab his cōcipitur, Deus

non

non esset: ergo non est intelligēdus vllo modo, quo si esset, Deus non esset, quam considerationem maximè Theologis Catholicis commendandam puto, vt eleuata mente, quem fœliciter colimus Deum verum, supra omnia aliqualiter, vt decet, capiamus.

24 Supposito tamen, quòd talia signa considerentur, dicitur, quòd esse Redemptorē, & carnem passibilem assumere, consideratur quasi finis proximus electionis Matris, quia Mater est medium ad illud, quod in executione est prius, in intentione est posterius.

Et ad id, quod infertur: ergo decretum illud in signo rationis, pro quo nō est electa mater, nō est efficax, quandoquidèm nec obiectū ponit, nec est ponibile in re. Respondetur, esse efficax efficacia intentionis finis, cuius est ponere obiectū, positis medijs, & nō sine illis, quia hoc modo est volitum; ita vt si poneretur, non positis medijs, non esset efficax, quia fieret quod nō vult, nec obiectum esset finis, qui essentialiter dicitur talis ad media, vt nomen significat, & diffinitione innotescit: *est enim, propter quem alia amantur*, vndè efficacia eius est consecutio finis per media, ex quo infertur tantùm non stare efficacem intentionem finis; & non eligere media, & vti illis; nō autem ex hoc erit necessaria electio; nec ex suppositione intentionis efficacis finis, quia est actus liberi arbitrij, & potest eligere medium, quod placuerit, & non eligere illud, sed aliud; non tamen potest nō eligere aliquod, quod est necessariò excercere libertatē electionis, perfectio maxima libertasis: ideò in Deo ponitur, cuius libertas non potest intelligi suspensa.

Pro huius Mysterij definitione proponitur.

§. V.

IN opusculo illo dixi, diffinibile esse hoc Mysterium, credo certū, quia 1

est

est totaliter gratiæ, eorum enim, quæ ordinis gratiæ, & supernaturalia sunt; ad Fidem, cùm omne naturæ lumen superent, spectat notitia: quæ si nondum existunt determinata, & sub dubio cõtrouertuntur, Summi Põtificis, Ecclesiæ Capitis, est quid infallibiliter est tenendum, declarare. Hoc est esse diffinibile de Fide aliquid; at huiusmodi est hoc Mysterium, vt notum est: ergo diffinibile, de fide est concedendum.

Dicunt aliqui, vt Can. de loc. lib. 7. cap. 3. conclus. 4. quod & si speculatiuè sit diffinibilè, quia est ordinis gratiæ; practicè verò non, maximè pro pia sententia, eoquòd nõ sit apertus Scripturæ locus, Sanctorumque Patrum, & Doctorum resistit auctoritas; hoc autem indiffinibile practicè ab extrinseco reddit Mysteriũ; de quo videndi sunt Theologi 2. 2. q. 1. art. 10. de hac re plura disputantes, quæ mihi, qui simplicem intendo propositionem, recensere nõ vacat.

Dico, multa loca Sacræ Scripturæ valdè cõgruè pro hac sententia exposita inueniuntur, vt visum est Sec. 1. §. 4. per totum, nec desunt Patres, & Doctores pro illa Sec. 4. §. 1. 2. 3. circa quæ Barb. Remiss. Concil. Trid. Sess. 5. §. declarat. vbi omnes Doctores antiquos, & modernos congerit, qui possunt, si placet, videri; at nõ esse hoc firmum argumentũ arbitror. Nam ex auctoritate Sacræ Scripturæ negatiuè, quòd non sit aperta pro hac sententia, nil sequitur efficax, aliter nil esset de Fide non scriptum, esset tamen, si inueniretur contraria. Videbatur talis Paulus ad Rom. 5. & nõ opponi demonstratum est; Patrum verò testimonia quid operentur, consulatur Can. de locis. l. 7. cap. 1. non ergo indiffinibile ex hoc est iudicandum, quod pro se habet demonstrationem Theologicam: nam eodem ex capite diffinitum est, Christũ Dominum duas habere voluntates, vt patet per Eugen. 4. in Conc. Florent. ex eo, quòd habet duas naturas necessa-

cessariò inferentem habere duas voluntates, hacque ratione anathematizãtem Macharium Antiochenum, & sequaces, fatentes duas naturas in Christo, & vnam tantùm voluntatem in eo admittentes. D. S. 3. p. q. 18. art. 1. diffinibile ergo est cōcedendum.

3 Cui accedit auctoritas D. S. de medio sublata, quæ cōtraria dum putabatur, obstabat diffinitioni, & videbatur hac de causa indiffinibile ab extrinseco: tanti in Ecclesia habetur eius sentētia, quam ex dictis non aduersari, si euidenter non censeatur, probabiliter negari non potest, quod vt nō sit obex, est satis.

Sino plura à Modernis tradita, & quæ in alijs similibus euentibus fuerunt diffiniēdi causæ, vt testantur Cōcilia, hæ namque magis in præsentiarum cogunt, quia creuerunt nimis. Pax communis exposcit, pietas clamat, compellit veritas, & Ecclesia tumultibus fluctuās tranquillitatē implorat: sedentur seditiones, vitentur scandala, Fidelis Plebs labij vnius existat, ne detur, vt necesse est, in contradictorio opinabili falsitati cultus, qui veritati debetur, cui malo impedimentum apponere, summa Ecclesiæ tenetur auctoritas, quandoquidèm suum dūtaxàt fatemur, quodnam sit verum in rebus ad Fidei dogmata spectantibus decernere, quia omnem naturalem superant rationem: quarè cùm Ecclesia indiget, determinare est necesse, nec suspēdi posse videtur, ne tot nutriantur inter Catholicos mala, quòd si Fides adhibeatur historijs, nunquam sic vrsit necessitas.

Si autem obstaculum reputabatur Prædicatorū Ordo, nunc ob eius honorem piam sentētiam diffiniri oportet, si faxit Deus, hic, vt spero, rem tantam operétur discursus, vt sicut quodam modo totius veritatis hic Ordo semper extitit propugnaculum, sit per me Filiū eius indignum huius, quam impugnauit Patronus, & in dissensu auctoritate, & in assensu gloria refulgeat. 4

De ple-

De plenitudine gratiæ Beatißimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ cogitatio.

1 Cùm dixerim puritatē Conceptionis ex magnitudine, & perfectione gratiæ Dei Genitrici collatæ prouenire, eò quòd tanta fuerit, vt petat, subiectum non habuisse peccatum vllum, cuius mihi exhibuit fundamentum D. S. 3.p.q.27.art.4.dicens, quòd ex plenitudine gratiæ, qua idonea fuit Mater, habuit nunquàm peccasse, & art. 6. ad 1. probat, maiorem esse Virginis gratiam in vtero, quàm Ieremiæ, & Baptistæ, eò quòd præstitum fuerit ex ea, non peccasse mortaliter, nec venialiter; illis verò tantùm non peccasse mortaliter, quod opusc. 2. cap. 224. clariùs habetur: *Beata Virgo Maria tanta abundantia gratiæ Sanctificata fuit, vt deinceps ab omni peccato fuerit immunis, non solū mortali, sed etiam veniali*: ergo plenitudo gratiæ puritatem petit subiecti, secundū quantitatem illius; quarè & ab Originali immunitas referenda est illi, vt retuli sect. 2.§.4.n.4.& sect.3.§.4.n.3. Nam hæc puritas non priuatiua, vt fuit Euæ ante peccatum, sed positiua ex perfectione gratiæ cēsenda est: ideò, qualis, & quanta plenitudo inquirēda, cogitabam.

2 Suppono, Deum necessarió cognoscere, quidquid sua potentia potest fieri: vniuersa enim possibilia ei sunt nota, ita vt omnium, & singulorū diuisim habeat propriam, & comprehensiuam cognitionem: nàm cū nō sit aliquod possibile, nisi quia idæatum à Deo, hoc necesse est dicere, quia nil potest esse idæatum, vt tale, præter id, quod per intellectus cognitionem ei tribuitur, per quam formatur; vndè non est possibile, nisi quia cognitum, proptereaque quodlibet potest facere, & meliùs in vnoquoque genere, & si quod est in omnibus; aliter cōtradictio esset manifesta,

 esse

esse possibile, & non posse fieri, vel Deum non posse facere aliquod possibile, quod maiorem repugnantiam inuoluit.

3 Probat ratio, quia ens creatum in omni sua amplitudine differt ab Increato per esse finitum, vndè nil est possibile, quod finitum non sit; aliud namquè intelligere, *est ignorare rationem facti*, vt D.S. docet 1.p.q.7.art.2. ad 1. infinitum non est factibile, nec inter possibilia cõputatur, quia in se repugnat; non ex parte virtutis Dei, quæ omnia potest: quarè falluntur qui dicunt, non posse fieri omne possibile, quia fieret aliquod ens infinitè perfectum, eò quòd vnum excedit alterum aliqua perfectione, sine fundamento discursus: tùm rationibus factis, quia infinitas repugnat enti creato: tùm hac euidẽti. Si Deus faceret omne possibile, faceret quod cognoscit, & nihil amplius; sed nõ cognoscit aliquod ens possibile infinitæ perfectionis: ergo si omne possibile faceret, non faceret aliquod infinitæ perfectionis; vndè perfectius ex tota possibilium collectione non est infinitũ, sed finitum: quia ratio entis possibilis in suo formali cõceptu claudit finitatem, & infinitatem excludit: quarè & noscit, & valet facere summam gratiam.

4 Beatam Virginem Dei Genitricem Mariam tanta plenitudinæ gratiæ fuisse refertam, vt inter possibiles nulla alia puræ creaturæ sit communicabilis maior. Infertur ex supra dictis, quæ videnda sunt sect. 2. ferè per totam præcipuè §.4. Sic meditabar.

Probabam, nam D. S. 1. p.q. 20. argum. sed contr. eò quòd interrogasset, *vtrum Deus æqualiter diligat omnia?* Probat, æqualiter non diligere, ex Augustin. sup. Ioan. *Omnia diligit Deus, quæ fecit & inter ea magis diligit creaturas rationales, & ex illis eas amplius, quæ sunt membra Vnigeniti sui, & multò magis ipsum Vnigenitum suum*: & prosequitur corpus articuli: *dicendum, quòd cùm amare sit, velle bonum alicui,* du-

duplici ratione potest aliquid magis, vel minùs amari: vno modo ex parte ipsius actus voluntatis, qui est magis, vel minùs intensus, & sic Deus non magis quædã alijs amat quia omnia amat vno, & simplici actu voluntatis & semper eodem modo se habente: alio modo, ex parte ipsius boni, quod aliquis vult amato; & sic dicimur aliquem magis alio amare, cui volumus maius bonum, quamuis non magis intensa voluntate, & hoc modo necesse est dicere, quòd Deus quædam alijs magis amat, & art. 4. sequenti in argum. sed contr. *Vnumquodq; diligit sibi simile, vt patet per illud, quod habetur Ecclesiast. 13. Omne animal diligit sibi simile, sed in tãtum aliquid est melius in quãtum est Deo similius: ergo meliora magis diliguntur à Deo.* Et in C. *Dicendum, quòd necesse est dicere secundùm prædicta; quòd Deus magis diligat meliora: dictum est enim, quòd Deum diligere magis aliquid, nihil aliud est, quàm ei maius bonum velle: voluntas enim Dei est causa bonitatis in rebus, & sic ex hoc sunt aliqua meliora, quod Deus eis maius bonum vult, vnde sequitur, quòd meliora plùs amet*, & ad 5. *quòd, cùm voluntas Dei sit causa bonitatis in rebus, secundùm illud tempus pensanda est bonitas eius, qui amatur à Deo, secundũ quod dandum est ei ex bonitate Diuina aliquod bonũ:* ergo secũdùm mensuram boni, quod datur, quantitas dilectionis est dignoscẽda. Sic apud Ioan. 3. ait ipse Dominus *Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret:* docens nos, ex dono mensurare dilectionem, vt ibi D. S lect. 3. & notum est ex D. Gregor. homil. Pentec. *probatio dilectionis exhibitio est operis*; & B. Albert. Magnus ad ipsum locũ, *sic Deus dilexit Mundum, &c. sic quãtitatem dilectionis ostẽdit, Vnigenitũ in quo totus erat congregatus Paternus affectus, qui si secundum habuisset, vel habere potuisset, minùs istum dilexisset; sed quia hoc esse non potuit, tradere illũ infimæ dilectionis ad seruũ signum fuit:* ergo quantitas dilectionis per donum est mẽsuranda.

5 Confirmat doctrinam ipse Dominus Luc. 7. cùm ad docendum Pharisæū, vtitur parabola illa debitorū: *duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos: & alius quinquaginta: non habentibus autem illis, vndè redderent, donauit vtrisque, quis plus eum diligit? Respondens Simon dixit: æstimo, quia is, cui plùs donauit; at ille dixit ei: rectè iudicasti*: ergo ex sententia Domini, rectum est iudicium, ex quantitate doni quantitatem dilectionis affirmare.

Sed Beatissimæ Virgini à Deo fuit donum datum, quo maius dare non potest in esse supernaturali, quandoquidèm dedit Filiū suū in Filium, quia verè, & realiter est Mater Filij Dei: ergo dilectione in esse supernaturali, qua maior esse non potest, dilexit illam; sed formalitas, qua constituitur in esse supernaturali obiectum dilectionis Dei creatura rationalis, est gratia: quia est, qua grata fit formaliter Deo, terminans eius dilectionem supernaturalem, cuius effectus est, & donum sic D. S. & est omnium 1.2. q. 101 art. 1. *Alia autem dilectio est specialis, secundùm quam trahit creaturam rationalem, supra conditionem naturæ, ad participationem Diuini boni, & secundùm hanc dilectionē dicitur, aliquem diligere simpliciter, quia secundùm hanc dilectionem vult Deus simpliciter creaturæ bonum æternū, quod est ipse: sic igitur per hoc quod dicitur, homo gratiam Dei habere, significatur quiddam supernaturale in homine à Deo proueniens*, & art. 2. *Respondeo dicendum, quòd sicut iam dictum est* (art. 1. verbis citatis) *in eo, qui dicitur gratiam Dei habere, significatur esse quidam effectus gratuitæ Dei voluntatis*, & q. 112. art. 4. quod maior gratia est ex dispensatione Dei, hoc est, secundùm quod maius donum vult vni, quàm alteri: ergo Sanctissimæ Virgini, cui maius omnibus possibilibus donum dedit, tantam plenitudinem gratiæ donauit, vt nulla inter possibiles puræ creaturæ communicabilis, maior esse queat.

Quod

6 Quòd si quis obijceret, ex Ioan. 3. Mundo datum esse vnigenitum Filiũ, & ad huius doni mensuram esse dilectum, ratione cuius B. Albertus Magnus ibi, infinitam fuisse dilectionem ad hominem infert: ergo hæc maior fuit, vel æqualis.

Respondebam, quòd locus ille probat intentum: datus enim fuit Vnigenitus Filius Dei per Virginem Matrem, ideò priùs dignitate illi. Et præthereà, qui à Mundo datus est Redẽptor, Virgini verò Filius: & ratio, qua terminat amorem Paternum, est Filiatio, ex quo reciproco Spiritus Sanctus procedit, qui est amor proprius Patris, quo amat Filiũ, vt Filium, & Filius Patrem, vt Patrem; infinitus simpliciter, ita vt ratio ipsa diligendi Filium amore infinito, sit sub qua donauit Filium Virgini, quia est Mater Filij Dei: testatur ipse Pater apud Math. cap. 17. *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*: vndè tantæ dignitatis particeps, & supremo amore amata: & cùm ratio doni sit amor, vt ipse D. S. docet 1. p. q. 38. art. 1. & 2. quarè & Spiritus Sanctus procedit vt donum, quia procedit vt amor, illud est melius donũ, quod magis amatur; sed Filius, vt Filius magis amatur, quàm vt Redemptor, quia esse Redemptorem, est ali- 7
quid factum, & quasi munus: Filius autem datus est Mundo, vt Redemptor, vt ex ipso textu patet, *sic Deus dilexit Mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*: Virgini verò datus est, vt Filius, teste Angelo Luc. 1. *ecce concipies in vtero, & paries Filiũ, hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur*: & paulò post, *ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*: ergo maius donum datũ est Virgini, quàm toti Mundo, & quò maius intelligi non potest: ergo & dilectio æqualis quãtitatis, & gratia: quòd si B. Albertus infinitam dilectionẽ vocat illam, quantam hanc vocabit? Verè intelle-

tellectus absortus capere nequit.

8 Hæc ratio, quæ fundamentum est huius cogitationis, in breui forma est huiusmodi. Cui maius donum supernaturale datur à Deo, amatur ab ipso maiori supernaturali dilectione, & ad mensuram dilectionis confertur gratia; sed B. Virgini maius ex omnibus possibilibus donũ datur: ergo amatur maiori omnium possibilium dilectione, & consequenter datur gratia, qua maior esse non potest, quod & B. Albert. Mag. sup. Mis. q. 114. & 141. his verbis significat, *non potest intelligi puræ creaturæ maior participari gratia, quàm esse Matrem Dei.*

Si opponeretur: ergo gratia Beatæ Virginis esset infinita, quia donũ est infinitũ.

Dicebam, esse infinitam præcisiuè, non negatiuè, vt est Deus: nam est illa, quæ in sua specie non limitatur, sed habet omnem possibilem perfectionẽ illius: quẽadmodùm ait D. S. de indiuiduo speciei Angelicæ, & de calore ignis, quæ infinitas est secundùm quid, & dicitur talis, eoquòd non limitetur intra illam rationem, quod sufficit ad proportionem seruandam: nam si infinito respondet id, quo maius esse non potest, sufficiens est æqualitas proportionis.

Ergo Virgo Beata æqualis gratiæ est cum Christo, quod est contra rationem, & D. S. 3. p. q. 7. art. 10. ad 1. 9

Negabam, quia Christus non est pura creatura, & cõfertur gratia modo illi condebito, vt ibi docetur in C. & sequentibus tribus articulis: ei enim datum est, quòd sit Deus, & ita gratia sine vlla limitatione intensiuè, & extensiuè, quapropter nec augeri potest, ibi art. 12. est enim ei, quamuis non per emanationem, ex quodam connaturali debito hypostaticæ vnionis, vt ibi art. 13. sicut splendor in medio ad præsentiam Solis; in Virgine verò non sic, quia est pura creatura, & deest gratiæ illa summitas, quæ ex vnione ipsius Dei prouenit gratiæ Christi, quæ verè est supra

pra suam rationem specificam absolutè consideratā, vt separatam à Deo in subiecto purè creato: quemadmodùm possumus considerare albedinem in sua ratione, & vnitam luci, ita vt vnio sit in eodem subiecto lucido & albo, erit albedo quadam summitate super-excellens ex vnione ad lucem; cuius participatio est, qualis non erit albedo separata à luce, & si summa sit secundùm propriam rationem: quia ille alter gradus resultat ex vnione ad rationem participatam, quia participatio est illius, qui cùm deest, nō deest aliquid, quod ipsa potest habere separata: eodem iudicio censendum est de gratia, quæ participatio est Diuinæ naturæ, habēte in Christo illum gradum ex præsentia Dei vniti, quæ non habet in Virgine; non tamen ideo caret aliquo, quē habere potest separata à Deo: quod fit in Christo eadem ratione, quia Deus voluit ei, vt esset Deus, quod maximum est donum, sic D. S. 1. p.q. 20. ari. 4. ad 1. *quod Deus diligit Christum, non solùm plùs, quàm totum humanum genus, sed etiam magis, quàm totam vniuersitatem creaturarum, quia ei maius donum voluit, vt esset verus Deus: ergo &c.*

S. Ansel. de Cōcep. Virg. 10 cap. 18. *dicens erat vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret*: ergo puritatem habuit, qua maior purę creaturę nō est communicabilis: tū quia immediata Deo, & summa creaturarum: tum quia quæ communicabilis est, intelligibilis debet esse: ergo quæ intelligibilis non est, communicari non potest; at puritas huiusmodi est attributum gratiæ æqualis, quia ęst puritas, quæ conuenit cum puritate Dei; aliter comparatio esset inanis, nec sub illa contineretur, vt supponit Anselm. sed puritas increata est Diuinæ sanctitatis proprietas: ergo & hæc puritas maioris sanctitatis inter creatas: nam puritas nil addit ad sanctitatis perfectionem, præter exclusionē peccati: est enim sanctitas exclu

dens

dens omne peccatum: ergo ex mente S. Anselm. gratia Virginis nulla est puræ creaturæ communicabilis maior, quod & Albert. Magn. vno verbo dixit, super missus est q. 137. & 138. *data fuit ei*(Virgini)*puritas in sũmo.*

11 S. Bonauent. Spec. B.M. Virg. cap. 18. §. *secundò cõsideremus*, pro afferto habet; *quòd gratia Virginis immensa fuit*; sed immenso non est maius: ergo iuxta Bonauẽt. sententiam nulla potest esse maior Virginis gratia.

Ferè omnes Sancti, qui verba Annuntiationis declarant, & de laudibus Virginis instituerũt tractatus, hoc insinuant assertum.

Sequeretur, dato vero quod dictũ est, Beatissimam Virginem taliter fuisse gratia plenam, vt nunquam profecerit, nec proficere potuisset, hic est articulus damnatus à Gregorio XI. vt Aymericus asserit Direct. Inquisit. 2. p. q. 10. n. 2. ergo nõ est tenendum.

12 Respondeo, quód quamuis de Aymerici auctoritate non sit certa fides, vt plures contendunt defendentes Raymundum Lullum: ego autem illi fidem præsto, & obiectioni respondeo, quòd nihil aduersus dico: nõ enim cogito, nec determino, an per totum vitæ suæ tempus gratiam in illa perfectione adimpleuerit, sed tantùm sequi ex dictis, quòd ante mortem illam habuit, & hoc sufficit pro solutione, dato, quòd determinatum sit, vt Aymericus vult, quod opponit abiectio.

At sẽsus cogitationis meæ est, quòd gratia Beatæ Virginis fuit plena in specie, & ratione gratiæ, ita vt nulla possit esse maior, quod non tollit, quòd possit augeri secundùm intensionẽ ex parte subecti, & secundùm extensionem ex parte effectus, tantùm enim sequitur, nõ posse augeri in ratione perfectionis intrinsecæ gratiæ; quæ doctrina sumpta est ex D. S. 3. p. q. 7. art. 10. in C. vbi quærit, *vtrum gratia Christi possit augeri*, & 2. 2. q. 24. art. 7. in quo quærit, *vtrum charitas augeatur in infinitũ*

in

In resp. ad 3. dicens viatorē non posse peruenire ad charitatem alicuius Beati, & si augeatur in infinitum, quia quantitas Patriæ, & viæ charitatis non sunt eiusdem rationis. Apponam exemplū in scientia: potest enim quis habere Philosophiam circa quatuor conclusiones, cuius si repetantur actus, intendetur Philosophia; nunquam tamen eius perfectio pertinget ad perfectionem Philosophiæ viginti conclusionū, & si hæc non sit ita intensa,
13 sicut illa, potest namque infundi à Deo in gradu remisso perfectissima Philosophia, quæ sit comprehensiua obiecti, vt intēdatur per actus recipientis illam: sic gratia Virginis, vt per actus charitatis mereretur augmentū intensiuum illius excellentissimæ formæ, & dari, vt ad effectus nouos extenderetur, vt in exemplo posito est videre: nā si illa scientia Philosophię infunderetur secundùm totam eius perfectionem possibilem, & nō darentur species aliquorum obiectorum, non haberet actus circa illa, datisque speciebus, absque additione perfectionis scientiæ cognosceret obiecta illarum: sic proportionaliter est discendum. Quid autē sit hęc perfectio formalis gratiæ? Est plus participare de Diuina natura, sicut luminis gloriæ perfectio, qua maius dicitur, est plus habere de diuino lumine, non intensius esse, itaque tantum habuit Diuinæ naturæ participatū Beata Virgo, vt non possit esse maius in pura creatura, quod probat efficaciter ratio Maternitatis, quæ petit maximam inter possibiles similitudinem, & coniunctionem cum Filio, secundùm omnem rationem, qua dicitur Filius in ordine supernaturali, in quo est Deus, cuius Mater verè, & realiter existit Beata Virgo gloriosa in sæcula. Sic mente coligebam.

(∵)

Quod sub iudice relinquo.

INDEX EORVM QVÆ CONTINET *discursus*.

SECTIO. I.

SECTIO II.

SECTIO. III.

SECTIO IV.

&

INDEX RERVM.

Primus numerus marginis numerum, secundus paginam, tertius folium signat.

modo

E

Effe-

In

Iusti-

Mu-

Quan-

tati

B.V.

LOCA SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Primus numerus columnam, secundus folium notat.

Cantic.

4 Tota pulchra est amica mea, & macula nõ est in te. 4. 11. & 1. 42.

Sapient.

1 In maleuolam animã non intrat Sapientia, nec habitat in corpore subdito peccatis. 4. 40.

7 Omnium artifex docuit me Sapientia. 1. 2.

10 Hæc illum qui primus formatus est á Deo, Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit; & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia 3. 5.

10 Hæc iustum apereuntibus impijs liberauit fugientem, &c. 3. 65.

12 Quidam autem errantes colebant mutos serpẽtes, & bestias super vacuas, & immisisti multitudinem animalium mutorum in vindictam, vt scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc, & torquetur. 3. 14.

Ecclesiastic.

47 Dedisti maculam in gloria tua, 3. 44.

Isai.

14 Similis ero altissimo, 2. 13.

Hierem.

Orat. 5. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. 3. 10.

Machab.

14 Contriti sunt in conspectu eorum, & percusit eos, 3. 16.

Mathæi.

1 Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum, 4. 56.

17 Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. 1. 95.

Lucæ.

1 Ecce ancilla Domini, 2. 52.

1 Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. 2. 52.

1 Quia fecit mihi magna, qui potens est. 2. 19.

1 Ecce concipies in vtero, & pareis Filium, hic erit magnus, & Filius altissimi vocabitur. 2. 95.

1 Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. 3. 18.

1 Benedicta tu in mulieribus. 4. 17.

Duo

omnium hominum, maxime fidelium. 4. 56. & 1. 57.

Ad Hæbre.

2 Per mortem destrueret eũ, qui habebat mortis imperium. i. Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis obnoxij erant seruituti. 4. 13.

1. Ioann.

1 Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. 3. 53. & 2. 79.

Apocalyp.

6 Exiuit alius equus rufus, &c. 4, 28.

12 Signum magnum apparuit in cœlo, &c. 1. 23. & 3. 22.

12 Serpens ille antiquus, qui vocatur Diabolus, & Sathanas. 4. 12.

13 Agnus qui occisus est ab origine mundi. 3. 13.